An. et vol. XXXXIV 20 Maii - 3 Iunii 1952 (Ser. II, v. XIX) - N. 7-8

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Litterae Decretales, p. 345 - Constitutiones Apostolicae, p. 393 - Litterae Apostolicae, p. 358, 401 - Epistulae, p. 365, 410 - Allocutiones p. 369, 411 - Nuntii radiophonici, p. 378, 429.

Acta SS. Congregationum: *S. S. C. S. Officii*: Proscriptio librorum - Monitum, p. 432 - *S. C. Consistorialis*: Provisio Ecclesiarum, p. 433 - *S. C. pro Ecclesia Orientali*: Decretum, p. 382 - *S. C. de Propaganda Fide*: Provisio Ecclesiarum, p. 383. Nominationes, p. 384. Decreta, p. 435 - *S. C. Rituum*: Decreta in causis beatificationis et canonizationis Servorum Dei, p. 385, 437.

Acta Tribunalium: *S. Paenitentiaria Apostolica*: Decretum, p. 389 - *S. R. Rota*: Citatio edictalis, p. 440.

Diarium Romanae Curiae: Udienze solenni - Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze, pp. 390-392.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • LII

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 1000 — extra Italiam, Lib. 2000 vel $ 5

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 80 — extra Italiam, Lib. 190 vel $ 0,30

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXIV; n. 7 - 20 Maii 1952)

ACTA PII PP. XII

LITTERAE DECRETALIS — PAG.

Quos Spiritus Sanctus. - Beato Antonio Mariae Claret, Confessori Pontifici, sanctorum honores decernuntur. - 7 Maii 1950 345

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Coruscantis sideris.* - Basilicae Minoris titulo ac dignitate afficitur templum « Conceptionis de Praia » in civitate atque archidioecesi Sancti Salvatoris in Brasilia. - 7 Octobris 1946 358

II. *Venerabilis Decessor.* - Sancta Anna, B. Mariae V. Mater, universae dioecesis ab eius nomine nuncupatae Patrona praecipua declaratur. - 8 Septembris 1950 360

III. *Beatae Mariae Virginis.* - Basilicae Minoris honoribus ac privilegiis cumulatur ecclesia Beatae Mariae V. de Perpetuo Succursu in loco « Puchheim » Linciensis dioecesis. - 13 Aprilis 1951 362

IV. *Almam Dei.* - Paroeciale templum loci « Tongre-Notre-Dame » dioecesis Tornacensis titulo ac privilegiis Basilicae Minoris ditatur. - 27 Aprilis 1951 363

EPISTULAE

I. *Pastoralis curae.* - Ad Revmum P. Ioannem Baptistam Janssens, Societatis Iesu Praepositum Generalem eundemque Consociationis ab « Apostolatu Orationis » Moderatorem Supremum. - 28 Octobris 1951 . . . 365

II. *Quod nobis.* - Ad clarissimum Virum Felicem Battaglia, universitatis studiorum Bononiensis Rectorem Magnificum: octavo elapso saeculo a « Decreto Gratiani » edito. - 20 Martii 1952 368

ALLOCUTIONES

I. Ad christifideles, die Paschatis Resurrectionis D. N. Iesu Christi, devota omina Summo Pontifici ac Veneratissimo Patri in foro Sancti Petri proclamantes. - 13 Aprilis 1952 . . 369

II. Ad Delegatos internationalis Conventus ad celebrandum « Decretum Gratiani » octo ante saecula editum Romae conclusi. - 29 Aprilis 1952 . 371

NUNTII RADIOPHONICI

I. Ad Clerum populumque Iaponiae, in die Paschatis Resurrectionis D. N. Iesu Christi. - 13 Aprilis 1952 . . 378

II. Christifidelibus Austriae ob sacra sollemnia, Vindobonae in cathedrali templo Sancti Stephani post bellum restituto, celebrata. - 27 Aprilis 1952 379

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

Decretum. Ordinariatus in Brasilia constituitur pro fidelibus Rituum Orientalium. - 14 Novembris 1951 . . . 382

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I. Provisio Ecclesiarum 383

II. Nominationes 384

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Mexican.* - Decretum introductionis causae pro beatificatione Servi Dei Michaëlis Augustini Pro, Sacerdotis professi e Societate Iesu in odium fidei, uti fertur, interempti. - 11 Ianuarii 1952 385

II. *Romana seu Viterbien.* - Decretum de *tuto* pro beatificatione Ven. Servae Dei Rosae Venerini, fundatricis Instituti Magistrarum Piarum ab eius nomine nuncupatarum. - 2 Martii 1952 387

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Decretum. Indulgentiis ditatur piae invocationis recitatio. - 3 Aprilis 1952 . 389

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienze solenni 390

II. Segreteria di Stato: *Nomine e Onorificenze* 390

(An. XXXXIV; n. 8 - 3 Iunii 1952)

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I. RANCHIENSIS ET NAGPURENSIS (Raigarhensis - Ambikapurensis). *Laetissimo sane animo.* - A dioecesi Ranchiensi pars illa separatur totum complectens civilem districtum de Raigarh et maiorem partem civilis districtus de Surguja; a dioecesi vero de Nagpur altera istius districtus pars, atque ex ita avulsis territoriis nova efformatur dioecesis, « Raigarhensis - Ambikapurensis » nuncupanda, quae suffraganea con-

(*sequitur pag. III*)

An. et vol. XXXXIV 20 Maii 1952 (Ser. II, v. XIX) - N. 7

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

LITTERAE DECRETALES

BEATO ANTONIO MARIAE CLARET, CONFESSORI PONTIFICI, SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei (*Act.* 20, 28), ipsa acceptae potestatis vi necesse est eos ita christianarum virtutum perfectionem exercere, ut sibi quisque non immerito usurpare possit illud Apostoli « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi » (*I Cor.* 4, 10); tantaque eos locupletari gratia, quorum sit munus Christi Iesu redemptionem perpetuare. Iusto enim iure cum sint episcopi Apostolorum successores, de Christi plenitudine et ipsi acceperunt, et gratiam pro gratia (*Ioan.* 1, 16); siquidem in Cenaculo una quodammodo cum Apostolis de eodem calice Christi biberunt; eius postremis alloquiis illustrati ac firmati sunt; eandem dilectionem de eius Corde pleno haustu hauserunt; denique unum et idem acceperunt mandatum: « Euntes docete omnes gentes » (*Mat.* 28, 19). Sed aequum fuit illos, non minus quam Apostolos, sicut divinae Christi Iesu potestatis esse participes, ita cruciatuum illius esse socios et consortes: hoc namque pacto solummodo unusquisque eorum, quod est meta ultima perfectionis, futurus erat alter Christus, ut, invicta constantia in laborum perpessionibus, posset ceterorum fidem firmare labantem, mortuam exsuscitare.

In quorum episcoporum numero, de catholica re sane mirifice meritorum, optimo iure habendus est Antonius Maria Claret, cui hodie, ad

An. et vol. XXXXIV 20 Maii 1952 (Ser. II, v. XIX) - N. 7

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

LITTERAE DECRETALES

BEATO ANTONIO MARIAE CLARET, CONFESSORI PONTIFICI, SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei (*Act.* 20, 28), ipsa acceptae potestatis vi necesse est eos ita christianarum virtutum perfectionem exercere, ut sibi quisque non immerito usurpare possit illud Apostoli « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi » (*I Cor.* 4, 10); tantaque eos locupletari gratia, quorum sit munus Christi Iesu redemptionem perpetuare. Iusto enim iure cum sint episcopi Apostolorum successores, de Christi plenitudine et ipsi acceperunt, et gratiam pro gratia (*Ioan.* 1, 16); siquidem in Cenaculo una quodammodo cum Apostolis de eodem calice Christi biberunt; eius postremis alloquiis illustrati ac firmati sunt; eandem dilectionem de eius Corde pleno haustu hauserunt; denique unum et idem acceperunt mandatum: « Euntes docete omnes gentes » (*Mat.* 28, 19). Sed aequum fuit illos, non minus quam Apostolos, sicut divinae Christi Iesu potestatis esse participes, ita cruciatuum illius esse socios et consortes: hoc namque pacto solummodo unusquisque eorum, quod est meta ultima perfectionis, futurus erat alter Christus, ut, invicta constantia in laborum perpessionibus, posset ceterorum fidem firmare labantem, mortuam exsuscitare.

In quorum episcoporum numero, de catholica re sane mirifice meritorum, optimo iure habendus est Antonius Maria Claret, cui hodie, ad

medium hunc Iubilaei annum, Sanctorum Caelitum honores, summa cum animi Nostri laetitia, decrevimus.

Quintus ex filiis, quos Ioannes Claret et Iosephilla Clarà, eius parentes, undecim susceperunt, Antonius Maria, natus Sallenti, e Dioecesi Vicensi, in Hispania, die vicesimo tertio mensis Decembris anno millesimo octingentesimo septimo, inde a prima aetatula eximiam caelestium rerum religionem prae se ferre coepit, sive praesertim Augustissimum Eucharistiae Sacramentum, puerilibus posthabitis ludis, saepe adorando, sive Deiparam Mariam Virginem cotidie precatoria corona salutando. Quarum supernarum meditatione rerum adeo inflammabatur ut de sacerdotio capessendo consilium, licet adhuc tenellus annis, in animo agitaret. Sed ut morem gereret patri, cui numquam non fuit obsequentissimus, hanc deposuit mentem, et ad artem textoriam accipiendam totus incubuit, eo plane successu, ut Barcinone, apud eos qui artificia atque negotia exercebant, non mediocrem collegerit famam. Etenim cum singularis eius dexteritas ac maturum supra aetatem iudicium iam tunc magna de eo portenderent, divites quidam societatem condere animo destinaverunt magnumque textrinum quod Antonius ipse moderaretur. Attamen adversae quaedam rerum vices, in quo genere fuerunt cuiusdam socii infidelitas, a mulieribus structae tentationes, naufragii periculum, beatissima Virgine Maria opitulante, superatum, praecipue vero evangelica illa sententia diu multumque cogitata « quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? » (*Mat.* 16, 26) in causa maxime fuerunt cur a saeculi conversatione sibi recedendum esse iterum putaverit. Quam ob rem primum textrino cum opere studium latini sermonis summo conatu coniunxit, deinde, die undetricesimo mensis Septembris anno millesimo octingentesimo vicesimo nono, in Vicensi Seminario, sacris disciplinis operam dare coepit. Quibus felici exitu acceptis, die tertiodecimo mensis Iunii anno millesimo octingentesimo tricesimo quinto fuit sacerdotio initiatus.

Tunc planissime patuit nullum esse opus quod, Christi caritate urgente, sibi suscipiendum non arbitraretur. Exinde, a primo diluculo ad multam noctem, de rebus divinis contiones habere, instare opportune importune, aures admissa fatentibus sine lassitudine praebere, puerulos apud se habere ut cum primis litterarum elementis doctrinam christianam addiscerent, valetudine laborantes visere, morientibus assidere, occasione data siccare purulenta ulcera, rudiores iuvare tutari conservare, aerumnosos et mendicos ope et solacio reficere atque non secus venerari quam divini Redemptoris imaginem, denique nec tempori nec labori parcere ut omnibus omnia fieret. Atque ita se gerebat, cum non satis

firma esset valetudine, cum saepe sanguinem exspueret, cum noctis vix tres horas suetus esset concedere quieti, ceteras Scripturis meditandis et prolixis fundendis precibus.

Sed cum curia, quam administrandam susceperat, angustior quam pro eius sollertia ac sollicitudine esset putanda, anno millesimo octingentesimo tricesimo nono, Romam petiit, ut Sacro Consilio Fidei Propagandae suam sponderet operam. Quod antequam consequeretur, auctore pietatis suo magistro, in novitiis Societatis Iesu ascribi postulavit. Verumtamen erat divinitus statutum, ut in Hispaniam rediret; ubi, qua Missionalis Apostolicus, totus fuit in sacris expeditionibus piisque animi exercitationibus ad populum habendis. Quae Antonii Mariae insomnis navitas in Catalaunia primum atque in Insulis Fortunatis sese mirum in modum declaravit; tum in Insula Cubana, cuius cura, die undecimo mensis Augusti anno millesimo octingentesimo quadragesimo nono, ei ad archiepiscopalem sedem S. Iacobi evecto, demandata fuit. Commissam sibi provinciam ter pro pastorali officio lustravit, ut gregem suum ad perfectiorem excitaret christianorum institutorum observantiam. Demum indefatigatos labores piissimi Praesulis habuit Matritum, urbs regni caput, totaque Hispanica regio, quam saepe ille potuit peragrare, auxiliis usus Elisabethae II reginae, quae anno millesimo octingentesimo quinquagesimo septimo eum sibi conscientiae iudicem elegit.

Et quamvis Antonius semper aliquid ageret ac moliretur, nihil omnino detrimenti accipiebant neque diuturna eius divinarum rerum contemplatio neque assidua exercitatio sanctimoniae. Cum enim persuasissimum illi esset positam a se operam in divina gloria promovenda ad irritum prorsus cadere nisi haec esset « in ostensione spiritus » (*I Cor.* 2, 4) nisique in animi ornamentis veluti in fundamento consisteret, virtutes Apostolorum proprias sibi putavit esse excolendas. Sectatus propterea est primum oboedientiam, cuius gratia numquam contionandi officium suscepit suorum Antistitum iniussu; deinde animi demissionem de qua viginti annos censuram in se ipso gessit; tum paupertatis, mansuetudinis, pudicitiae studium; tum denique sui ipsius sensuumque suorum refrenationem, cuius impulsu sive carne sive vino constanter abstinuit, ac membra afflictavit assiduis asperisque cruciatibus. Neque id praestitit solummodo cum Missionalem ageret, sed in mediis etiam domus regiae honoribus. Verumtamen, utpote qui Christi disciplinam penitus animo comprehendisset, prae ceteris virtutibus caritate maxime incendebatur, ad Apostoli Pauli similitudinem, cuius verba « Caritas Christi urget nos » (*II Cor.* 5, 14) totius suae sumpserat insigne vitae. Re quidem vera, hac cum arderet flamma, apostolicam gerere sollicitu-

dinem vivendique rationem nullo non tempore studuit. Nam solebat regiones peragrare hieme et aestate eadem tunica indutus, ac nihil secum ferens nisi ea quae ad usum summe necessaria erant. De nutrimento autem numquam fuit sollicitus. Qua de re tradunt eum olim, mendicum voluntarium factum, atque longo itinere lassum et esurientem a mendico quodam in cauponula viaria refectum fuisse.

Item Apostolorum contionandi rationem eius contiones imitari videbantur, sive ea attendantur quae proponebat, sive spectetur modus quo ea proponebat: perspicuus nempe atque manifestus, ac similitudinibus saepe illustris. Nec ulli parcebat labori ut de rebus sacris orationes haberet, quas et libris operam dando et precibus paraverat; tam videlicet impigre ut quandoque vel ad duodecies in die verba ad populum faceret. Cum autem Antonius de rebus sacris diceret, templum multitudine redundabat; nec tanti fiebant concursus quin semel atque iterum morum emendationes, inopinatae ad religionem conversiones, sanationesque insperatae sequerentur. Itaque eius fama sanctitudinis pervulgabatur in dies; erat videre, cum civitatulas regionis adiret de re sacra contionaturus, multa hominum milia longo itineris spatio occurrere ei pedibus advenienti, comitari eodem modo abeuntem.

Sed quis agnosceret perpetua eius itinera, ideo suscepta ut hominum societatem in Christo instauraret, et inopinatissima quaeque pro illius et futurorum temporum necessitatibus provideret? In omnibus fere Hispaniae civitatibus, maximeque Barcinone et Matriti, vox Antonii contionantis audita est; sive oportuit eum spiritualibus exercitationibus et meditationibus non modo sacerdotes sed cultiores etiam laicos homines in religione et pietate firmare; sive Sanctorum praeconia habere, sive praedicare quadragenario tempore Christi cruciatus, et mense Maio beatissimae Virginis laudes; sive sacris expeditionibus civitates, oppida, rura cum primis eius Sodalitatis filiis lustrare, quam supernis impulsionibus actus condiderat.

Attamen id operis et laboris satis sibi non esse vir Dei arbitrabatur, cum undique grassarentur perniciosissimae philosophorum doctrinae, omne genus pestiferorum librorum et ephemeridum, inconsulti popularium partium ausus, reipublicae moderatorum iniuriae. Praeter alia idcirco apostolatus opera, maximo Christi gregi et praesidio et munimento fore duxit non praetermittere quin scriptiones, suae aetatis indoli congruentes, typis imprimeret in vulgusque emitteret. Edebat propterea sine intermissione libros et libellos cuivis lectorum ingenio aptos atque accommodatos, crebrosque rei religiosae commentarios; ita sane ut, duodeviginti annorum spatio, ad quadragies centena millia ex offi-

cina libraria ab eo condita prodirent pagulae solutae et tabulae ad christianam doctrinam docendam aptae et imaginibus explanatae; quarum gratuito praesertim in sacris missionibus sescentae pervulgatae fuere. Huic operi totum se dederat Antonius, sive scriptis conficiendis, sive libris largiendis; nec umquam a largiendo destitit, siquidem sex annis, cum esset Archiepiscopus Cubanus, dono dedit plus ducenta milia voluminum.

Sed alia multa viderunt insula Cuba et Hispania egregie a piissimo Pastore facta: sodalicia deferendis ad domicilia subsidiis, domos excipiendis puerulis derelictis, bibliothecas pro indoctis, ludos variis artibus exercendis, mensas provehendae parsimoniae, denique consociationes laicorum hominum tuendae religioni, in quibus praecipuum obtinet locum Academia a S. Michaële; quae fuerunt tamquam incunabula exoriturae aliquando Actionis Catholicae. Sed sacerdotes praecipue in sinu Antonius gestavit, hoc unum effusis precibus ab Immaculato Corde Beatae Mariae Virginis petens, ut pares essent temporum necessitatibus.

Quae plurima ac singularia in apostolatus genere providit, et est expertus, egregia quodammodo nuntiant Decessoris Nostri Pii X coepta. Qua de re satis memorare sit christianae doctrinae elementa in partes tres descripta, quae tanta diligentia explanavit, ut in omnes fere Hispaniae dioeceses exciperentur; instauratum sacrarum caeremoniarum decorem; Gregorianos modos propagatos atque puerorum cantorum scholas; denique renovatum in insula Cubana Iacobianum seminarium, ac postea in Hispania Escurialense, quod tamquam gymnasium pietatis et doctrinae exstitit et ceterorum exemplar.

Nec sibi minus Antonius Maria insudandum duxit vel instaurationi religiosarum sodalitatum, quas publici magistratus deleverant, vel novarum et constitutioni et propagationi: in quorum sane numero sunt Ancillae, quas vocant, a SS. Sacramento et a Caritate, ac Virgines Carmelitae a Caritate. Proprius vero conditor existimandus est Virginum Magistrarum a Maria Immaculata, ac Virginum in suis ipsarum domibus degentium, quas Filias appellavit Immaculati Cordis Mariae.

At quis ignoret praecipuam eius subolem fuisse Congregationem Filiorum Immaculati Cordis Mariae, cui erat illud divinitus propositum ut Legiferi Patris sui singularem animorum iuvandorum sollicitudinem ac sollertiam perennaret lateque prorogaret? Huius Sodalitatis fundamenta Antonius Maria in angulo iecit sacri Seminarii Vicensis, quinque ad hoc sibi ascitis sociis, spectatissimae virtutis viris. Quae Congregatio, cuius leges Apostolica Sedes anno millesimo octingentesimo septuagesimo ratas habuit ac probavit, Deo opitulante, brevi tempore adeo

floruit ut Conditor ipse, antequam e vivis migraret, eam in Gallia, in Africa et in Meridianis Americae regionibus viderit late radices cepisse.

Quodsi quis quaerat undenam Antonius Maria incitamentum praecipue ad preclara huiusmodi gesta patranda sumpserit, non temere responderi potest e singulari, quam semper ab ineunte aetate fovit, erga Sanctissimam Dei Genetricem pietate; quam quidquid oporteret aut peragere aut providere aut scriptis tractare, testatus est se habuisse magistram. Huius amantissimae Matris gratia summopere curavit ut marialis rosarii religio non modo apud singulos christifideles, sed in eorum etiam domibus frequentissimo in usu esset; utque Immaculati Mariae Cordis cultum, ab eaque appellatum Sodalicium, late disseminaret, in quo haec praecipua vis inerat, ut aut peccatores ad meliorem frugem aut boni ad perfectiorem virtutem sanctimoniamque excitarentur.

Verum hisce in terris merces Apostolorum est pro Christi nomine contumelias vexationesque perpeti; idque fieri non poterat quin ipse non experiretur Antonius Maria, qui, si vel a primis sui laboris annis graves tulit insectationes, graviores sane tulit cum pontificatum Cubanum gessit, gravissimas denique tulit postremo suae vitae tempore. Quid enim sunt aliud quater decies intentata ei mors, plures scriptiones libellique varii generis eum aut criminantes aut obscene sugillantes etiam fucato suorum sodalium nomine editi, turpes tandem de eo in vulgus datae descriptiones vel cantati versus? Acerbissimis huiuscemodi vexationibus cum exagitaretur vir iste piissimus tantum ab ultione meditanda aberat, ut non modo de iis omnino taceret, sed adversarios etiam tam pro iis Deo adhibitis precibus quam beneficiis iisdem collatis quasi praemiis donaret.

Sed e superno consilio fortissimus Christi athleta iam suae vitae « cursum consummaverat ». Nam postquam in Concilio Vaticano quantum sibi supererat virium ita impendit in propugnanda fide de inerranti Summi Pontificis magisterio, ut omnium Patrum oculos in se converteret, atque postquam episcopatum viginti annos ita gessit ut de Ecclesiae Sanctae incrementis tantopere mereretur quam qui maxime, a suis insectatoribus quaesitus ad necem, ad suos alumnos se recepit. At cum ne illic quidem tutus esset a periculis, ad monasterium Fontis Frigidi confugit, ubi, religiosis votis in ea Sodalitate nuncupatis, quam condiderat primusque moderatus erat, placide piissimeque spiritum efflavit, die vicesimo quarto mensis Octobris anno millesimo octingentesimo septuagesimo, annos natus sexaginta tres. Postrema eius fuerunt verba: cupio « dissolvi et esse cum Christo » (*Ph.* 1, 23), peropportuna quidem

ut cum maxime in strenuo Ecclesiae propugnatore, qui non secus fere atque Apostolus stigmata Iesu Christi in corpore suo portaverat.

Piissimi Episcopi corpus in sacra aede monasterii Fontis Frigidi, ubi ille supremum diem obierat, sepultum fuit. Cum vero Sodales Congregationis ab eo conditae vehementer exoptarent, ut Patris legiferi sui exuviae apud se quiescerent, anno millesimo octingentesimo nonagesimo septimo corpus idem in Vicensem urbem translatum fuit et in templo B. Mariae Virginis a Mercede prope Congregationis principem domum conditum.

Cum autem ven. Dei Servi sanctitatis fama in dies cresceret magis et multa affirmarentur prodigia a Deo, illo deprecante, patrata, de eius Beatificationis Causae introductione cogitatum fuit. Ideo anno millesimo octingentesimo octogesimo septimo in episcopali Curia Vicensi processus ordinaria auctoritate inchoati sunt, qui anno millesimo octingentesimo nonagesimo ad exitum deducti fuerunt et Romam missi, ubi a S. Rituum Congregatione postea recogniti fuerunt. Anno deinde millesimo octingentesimo nonagesimo quinto Servi Dei scriptis examinatis et probatis, quattuor post annos, fel. rec. Leo XIII Decessor Noster Causae introductionem propria manu signavit.

Ceteris deinde ad iuris normam religiose exactis, quadruplex de Dei Famuli heroicis virtutibus habita est actio. Primo nempe de iisdem disceptatum est in Congregatione antepraeparatoria, quam vocant, secundo ac tertio in duobus praeparatoriis Comitiis, quarto denique in generali coram fel. rec. Pio XI, Decessore Nostro, die nono mensis Decembris, anno millesimo nongentesimo vicesimo quinto habito. In quo, cum cl. me. Antonius Cardinalis Vico, Causae Relator, dubium ad discutiendum proposuisset « an constaret de ipsius Servi Dei heroicis virtutibus », omnes qui aderant suam quisque ex ordine protulere sententiam. Summus vero Pontifex mentem suam aperire distulit ad diem sextum mensis Ianuarii, anno subsequenti millesimo nongentesimo vicesimo sexto. Quo die Maximus idem Pontifex solemniter edixit: *Constare de virtutibus theologalibus, Fide, Spe et Caritate in Deum et proximum, nec non de Cardinalibus, Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia earumque adnexis venerabilis Servi Dei Antonii Mariae Claret, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Agitata dein quaestione de miraculis quae, eodem Venerabili viro deprecatore, patrata ferebantur, post tres Congregationes, antepraeparatoriam videlicet et praeparatoriam, atque generalem, die tertiodecimo mensis Februarii, anno millesimo nongentesimo tricesimo quarto, coram eo-

dem Decessore Nostro habitam, ipse Pontifex die decimo octavo eiusdem mensis Februarii, sacrosancto Missae Sacrificio prius litato, solemniter declaravit: *Constare de duobus miraculis a Deo, intercedente venerabili Antonio Maria Claret patratis, nempe de instantanea perfectaque sanatione tum Xaveriae Mestre y Cornadó a variolis confluentibus, tum Sororis Benignae Sibila Alsina a gravi ulcere in regione pylorica.*

De heroicis igitur virtutibus deque miraculis prolato iudicio, illud discutiendum supererat, an venerabilis ipse Dei Famulus inter Beatos Caelites recensendus tuto foret. Hoc dubium a dilecto Filio Nostro Alexandro Cardinali Verde, post obitum cl. me. Cardinalis Vico Causae Relatore, propositum fuit in generalibus S. Rituum Congregationis Comitiis, die vicesimo ipsius mensis Februarii coram eodem Decessore Nostro coactis, omnesque tum Patres Cardinales, tum ipsius S. Congregationis Consultores unanimo consensu affirmative responderunt. Pontifex vero quattuor post dies, in festo nempe S. Matthiae Apostoli, astantibus Cardinalis Camillo Laurenti, S. Rituum Congregationis Praefecto, et, quem memoravimus, Cardinali Verde, atque dilectis Filiis Alfonso Carinci eiusdem S. Congregationis a Secretis et Salvatore Natucci, Generali S. Fidei Promotore, solemniter edixit: *Tuto procedi posse ad solemnem Venerabilis Servi Dei Antonii Mariae Claret Beatificationem.* Quae translaticio ritu in Vaticana Basilica, magnificentissime ornata et frequenti populo stipata, die vicesimo quinto mensis Februarii eodem anno millesimo nongentesimo tricesimo quarto celebrata fuit.

Cum autem post indultos Beato eidem Caelitum honores, alia, eius invocato nomine, miracula dicerentur a Deo patrata, supplices Apostolicae Sedi preces admotae sunt ut Causa resumeretur, ad novensilis Beati Canonizationem obtinendam; atque Nos ipsi die sexto mensis Iulii anno millesimo nongentesimo tricesimo octavo, Causae reassumptionis Commissionem propria manu signavimus. Duo propterea miracula S. Rituum Congregationi proposita sunt, quae hic breviter narrantur.

Primum miraculum ita evenit: Soror Iosepha Maria, e Sodalitate Sororum Docentium a Maria Immaculata, anno millesimo nongentesimo vicesimo sexto, mali generis tumore exsecato, quidem consanuerat. Sed quinque post annos alius tumor in supra claviculari sinistra regione patefactus est, qui pariter fuit excisus. Sequenti anno in dextera colli parte alius tumor, qui a medicis uti carcinomatis reproductio fuerat aestimatus, radiotherapice curatus fuit. Anno millesimo nongentesimo tricesimo quarto, mense Februario, quartus tumor a medicis carcinoma dictus, Sororem affecit, quae die decimo mensis Maii eodem anno a Ba-

racoa, ubi morabatur, ad urbem S. Iacobi in insula Cuba translata fuit, ut aptius, si fieri posset, curaretur. Die undecimo in gravibus infirma versabatur condicionibus. Novendiales interim preces pro eius sanatione Deo, implorata ope B. Antonii Mariae Claret, admovebantur atque eodem die de eius vestibus filum Soror deglutivit, sequentique mane perfecte sanatam se sensit. Quam sanationem instantaneam perfectamque medens ipse iudicavit, eius autem sanationis perseverantiam, attento quindecim annorum spatio, cum periti ex officio tum medicorum collegium a S. Rituum Congregatione electum confirmant atque sanationem illam naturae vires excedere fatentur.

Secundum miraculum Helenam Flores Arjona, Cordubensem civem, respicit, quae hemiplegia organica e cerebri laesione fuit attacta. Prognosis omnium medicorum iudicio erat gravissima, morbus insanabilis. At, B. Antonio Maria invocato, die nono mensis Maii, anno millesimo nongentesimo quadragesimo octavo infirma momento temporis omnino perfecteque convaluit, atque eius sanatio perseveravit. Medentium, peritorum ex officio medicumque S. Rituum Congregationis collegium sanationem ipsam miraculum esse conclamavit.

De duabus hisce sanationibus in suetis eiusdem S. Congregationis conventibus tractatum est, ac demum in generali coram Nobis die tertiodecimo mensis Decembris superiore anno coacto, in quo dilectus quem pluries memoravimus Filius Noster Cardinalis Verde dubium discutiendum proposuit: *An et de quibus miraculis, post indultam B. Antonio Mariae Claret ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur,* atque omnes qui aderant cum S. R. E. Cardinales, tum Officiales Praelati et Consultores suum de re suffragium tulerunt. Nos vero, uti mos est, sententiam Nostram ferre distulimus, maiorem divini luminis copiam imploraturi. Die tandem duodecimo mensis Ianuarii hoc ipso anno, ad Nos advocatis S. R. E. Cardinalibus Alexandro Verde, Causae Ponente, ac Clemente Micara, Episcopo Veliterno, S. Rituum Congregationis Praefecto, atque venerabili Fratre Alfonso Carinci, Archiepiscopo titulo Seleuciensi in Isauria et ipsius Congregationis a Secretis, nec non dilecto Filio Salvatore Natucci, S. Fidei Promotore Generali, solemniter ediximus: *Constare de duobus miraculis a Deo, B. Antonio Maria Claret intercedente, patratis, nempe de instantanea perfectaque sanatione cum Sororis Iosephae Mariae a carcinomate in pectore, tum Helenae Flores Arjona ab hemiplegia organica dextera.*

Hisce autem miraculis rite probatis, unum supererat dubium excu-

tiendum, an, scilicet, Beatus Antonius Maria Claret ad Sanctorum Caelitum honores « tuto » provehi posset. De qua re dilectus Filius Noster Alexander Cardinalis Verde, Causae Ponens seu Relator, egit in generalibus S. Rituum Congregationis comitiis, die vicesimo octavo mensis Februarii anno millesimo nongentesimo quinquagesimo in consuetam Vaticani Palatii aulam coram Nobis coactis, in quibus faventes tum Cardinalium tum Consultorum sententias libentissimo animo accepimus. Quibus, prout negotii gravitas postulabat, attente expensis, mentem Nostram aperire distulimus ad diem quintum Martii mensis, eodem anno.

Quo die, multis antea precibus exorato Deo, ad Nos arcessivimus quem supra diximus Cardinalem Verde ac venerabilem Fratrem Nostrum Clementem Cardinalem Micara, Episcopum Veliternum et S. Rituum Congregationis Praefectum, necnon venerabilem Fratrem Alfonsum Carinci, Archiepiscopum titulo Seleuciensem in Isauria, eiusdem Sacri Consilii Virum a Secretis, et dilectum Filium Salvatorem Natucci, generalem Fidei Promotorem, atque ediximus: *Tuto procedi posse ad Beati Antonii Mariae Claret solemnem Canonizationem.*

Quibus peractis, Decessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, die decimo sexto mensis Martii, anno millesimo nongentesimo quinquagesimo, Consistorium secretum coram Nobis est habitum, in quo venerabilis, quem supra diximus, Frater Noster Cardinalis Micara postquam vitam, gesta et miracula Beatorum Antonii Mariae Claret, Archiepiscopi Traianopolitani, Legiferi Patris Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis, et Sororum Docentium a Maria Immaculata, et Vincentii Mariae Strambi, Episcopi Maceratensis et Tolentini, e Congregatione Passionis D. N. Iesu Christi, Confessorum, nec non Beatarum Mariae Goretti, Virginis et Martyris, ac Mariae Gulielmae Aemiliae de Rodat, Legiferae Matris Instituti Religiosarum a Sacra Familia, et Mariae Annae a Iesu de Paredes, Virginum, concinna oratione complexus est, atque acta recensuit quae in Causis Beatificationis et Canonizationis eorundem Beatorum et Beatarum S. Rituum Congregatio, praevio accurato examine, admittenda ac probanda censuerat, magno denique omnes studio incendit ut tantorum heroum memoria summis consecraretur honoribus.

Qua relatione expleta, Patres Cardinales, qui aderant, suam singillatim sententiam declaraverunt.

In Consistorio publico statim Consistorialis Aulae Advocati de eorundem Beatorum et Beatarum Canonizatione rite perorarunt.

Pro Beati Antonii Mariae Claret Canonizatione dilectus Filius Phi-

lippus Re ornato sermone dixit. Quibus Consistorialibus Advocatis dilectus Filius Antonius Bacci, ab Epistulis ad Viros Principes, nomine Nostro respondit Nos etiam, quod illi postulabant, ex animo exoptare, attamen, ut in hac re mos a maioribus sapienter statutus religiose servaretur, non antea de singulis Causis prolaturos esse iudicium quam in Consistorio, quod *semipublicum* vocant, proxime celebrando, Patres Cardinales iterum, atque venerabiles Fratres Sacrorum Antistites, quotquot in Urbe affuturi essent, sententiam rogaverimus.

Die autem vicesimo septimo mensis Martii Consistorium *semipublicum* habitum est, in quo, postquam brevi sermone astantes allocuti sumus, tum Patres Cardinales, tum Archiepiscopi atque Episcopi, Causa plane cognita sive ex iis quae gesta fuerant in praedicto Consistorio publico, sive ex actis S. Rituum Congregationis, quorum exemplaria unicuique eorum iussu Nostro tradita fuerant, suam singillatim mentem aperuerunt. Exceptis suffragiis, valde laetati sumus illos omnes opinari, quos supra diximus, Beatos Caelites supremis sanctitatis honoribus quam primum decorandos esse. Decrevimus propterea solemnes Beatorum ac Beatarum illarum Canonizationis caeremonias per Anni Sancti decursum in Vaticana Basilica celebrare diebus proxime statuendis.

Pro Canonizatione autem B. Antonii Mariae Claret hunc praefinivimus diem septimum mensis Maii. Quo faustissimo die adveniente, omnibus tum saecularis tum regularis cleri ordinibus, Romanae Curiae Praesulibus et Officialibus, pluribus Abbatibus, Episcopis, Archiepiscopis et Patriarchis, atque sacro Purpuratorum Patrum Collegio, qui omnes Sanctorum Litanias recitabant et hymnum *Ave Maris Stella* canebant, solemni pompa praeeuntibus, Nos ipsi Petrianam Basilicam ingressi sumus, in quam, magnifico apparatu ornatam, innumera convenerat fidelium multitudo, quos inter non pauci ex Hispania cives et plurimi e Congregationibus cum Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis Mariae tum Sororum Docentium a Maria Immaculata a Beato ipso conditis.

Brevi deinde ante aram maximam effusa prece, ad Nostram Cathedram perreximus. Tunc, praestita Nobis prius, ut de more, ab astantibus Cardinalibus oboedientia, venerabilis Frater Noster Clemens Micara, huic Canonizationi procurandae praepositus, perorante dilecto Filio Philippo Re, Nostrae Consistorialis Aulae Advocato, *instanter*, *instantius*, *instantissime* a Nobis petiit ut tandem Beatum Antonium Mariam Claret, virtutibus, miraculis atque Domini Nostri Iesu Christi imitatione insignem, Sanctorum Caelitum numero accenseremus. Cui perorationi Nos per dilectum quem supra diximus Filium Antonium Bacci respon-

dimus Nos iam in eo esse ut optatam ab omnibus sententiam ederemus.

Paraclito Spiritu itaque implorato ut ab Eo superni luminis copia magis magisque menti Nostrae coruscaret, Nos in divi Petri Cathedra sedentes, ut supremus Ecclesiae Magister, solemniter pronuntiavimus: *Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe exsistentium consilio; Beatum Antonium Mariam Claret, Episcopum, Confessorem, Sanctum esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali illius memoriam quolibet anno die eius natali, vigesima quarta nempe Octobris, pia devotione recoli debere. In nomine Pa✠tris et Fi✠lii et Spiritus ✠ Sancti. Amen.*

Qua Canonizationis formula prolata, precibus annuentes eiusdem Cardinalis Micara, per eundem Advocatum Consistorialem Nobis porrectis, hasce Decretales sub plumbo Litteras confici expedirique iussimus; astantibus vero Protonotariis Apostolicis ut de hac Canonizatione publicum conficerent instrumentum mandavimus.

Gratias postea Deo optimo maximo ex animo egimus hymnum *Te Deum laudamus* cum confertissima multitudine canentes, ac primum novensilis Sancti patrocinium invocavimus eiusque breve teximus elogium, ante omnium oculos ponentes eius apostolicam sollicitudinem et christianarum virtutum, quam assecutus est, perfectionem, ex « qua solummodo perturbatis hisce rerum condicionibus opportuna remedia oriri possunt ac meliora tempora adduci ».

Apostolicam denique benedictionem et plenam admissorum indulgentiam impertivimus, atque sacris pontificali ritu ad aram maximam operati, solemnis Canonizationis caeremoniis finem imposuimus.

Quae omnia et singula universae Ecclesiae nuntiantes, iis quae inspicienda erant perpensis, certa scientia ac Nostrae Apostolicae potestatis plenitudine iterum confirmamus, roboramus, statuimus ac decernimus.

Mandamus denique ut harum Litterarum transumptis, vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii Apostolici subscriptis eiusque sigillo munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae iisdem hisce haberetur si exhibitae vel ostensae forent.

Nemini autem has Litteras definitionis, decreti, ascriptionis, mandati, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel eis contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, die septimo mensis Maii, anno Sacri Iubilaei millesimo nongentesimo quinquagesimo, Pontificatus Nostri duodecimo.

Ego PIUS, Catholicae Ecclesiae Episcopus

✠ Ego EUGENIUS Episcopus Ostiensis ac Portuensis et Sanctae Rufinae Cardinalis TISSERANT, Sacri Collegii Decanus.

✠ Ego CLEMENS Episcopus Veliternus Cardinalis MICARA.

✠ Ego IOSEPHUS Episcopus Albanensis Cardinalis PIZZARDO.

✠ Ego BENEDICTUS Episcopus Praenestinus Cardinalis ALOISI MASELLA.

✠ Ego ADEODATUS IOANNES Episcopus Sabinensis et Mandelensis Cardinalis PIAZZA.

✠ Ego FRIDERICUS Episcopus Tusculanus Cardinalis TEDESCHINI, S. R. E. Datarius.

Ego ALEXANDER titulo S. Mariae in Cosmedin Presbyter Cardinalis VERDE.

Ego PETRUS titulo S. Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis FUMASONI BIONDI.

Ego DOMINICUS titulo S. Apollinaris Presbyter Cardinalis JORIO.

Ego MAXIMUS titulo S. Mariae in Porticu Presbyter Cardinalis MASSIMI.

Ego NICOLAUS S. Nicolai in Carcere Tulliano Protodiaconus Cardinalis CANALI, Paenitentiarius Maior.

Ego IOANNES S. Georgii in Velo Aureo Diaconus Cardinalis MERCATI.

Ego IOSEPH S. Eustachii Diaconus Cardinalis BRUNO.

Pro S. R. E. Cancellario

✠ EUGENIUS Card. TISSERANT
S. Collegii Decanus

✠ CLEMENS Card. MICARA
S. Rituum Congr. Pro-Praefectus

† A. Carinci, Archiep. tit. Seleuc., *Decanus Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXIX, n. 93.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

BASILICAE MINORIS TITULO AC DIGNITATE AFFICITUR TEMPLUM « CONCEPTIONIS DE PRAIA » IN CIVITATE ATQUE ARCHIDIOECESI SANCTI SALVATORIS IN BRASILIA.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Coruscantis sideris instar Christifidelibus semper lucet fulgetque omne Templum Deo optimo maximo ac Deiparae Virgini Mariae dicatum; quod si religiosae alicuius populi et civili historiae iam ab antiquis temporibus arctissime coniunctum sit, populo eidem carissimum quoque evadit. Iamvero ex omnibus Nationis illius finibus ad ipsum conveniunt devotae plebes, gratias a Deo Eiusque Matre imploraturae gratiasque quam maximas pro receptis beneficiis acturae. Ab eo item, animis refecti, in suis difficultatibus aerumnisque consolati, atque « beneficia cuncta se impetrasse laetantes », discedunt quotquot in Fide, in Spe, « in Charitate Christi radicati et fundati » sint. Templum autem ipsum, apud populum illud pie custodientem, fit sollemne antiquissimae eius historiae monumentum, munitissima Fidei arx, optatissimus Spei terminus, indeficiens Caritatis incrementum, fit insuper, in terra, imago et species quaedam supernae aeternaeque caelestis Civitatis Ierusalem, quam omnes totis viribus, sicut ait Apostolus, inquirimus. Cum porro Nobis constet in Bahiensi Civitate, quae prima, a Sancto Salvatore nuncupata, in Brasiliana dicione sedem Episcopalem

a felicis recordationis Decessore Nostro Iulio PP. tertio, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, obtinuit, antiquum gloriosaque historia illustre exstare Templum Deo dicatum in honorem Immaculatae Conceptionis Mariae semper Virginis, ad quod ex omnibus Brasiliae provinciis devotissime tam multae peregrinantium more affluunt plebes, ut sane maximum ac nationale Templum appellari possit, periucunda ad Nos pervenit humilis supplicatio qua eiusdem Ecclesiae sollers Curio, una cum universo devoto populo, Nos rogavit ut honoribus ac privilegiis Basilicae Minoris eam cumulare velimus. Ab ipso enim oratore certiores facti sumus Thomam de Sousa, primum in Brasilia pro Lusitano Rege Gubernatorem Generalem, vertente anno millesimo quingentesimo quadragesimo nono, aediculam quandam in honorem Beatae Mariae Virginis Immaculatae, praecipuae Lusitani Regni Patronae, exstruxisse ibique divinae Parentis simulacrum, in sua praetoria navi Eiusdem nominis erectum, collocasse. Hinc exarsit devotio, iterum ac saepius succrescens, erga Immaculatam Conceptionem, Cuius festum die octava mensis Decembris, iam nonnullis saeculis ante Ipsius dogmaticam Definitionem, quotannis celebrabatur; hinc facta est nova Bahiensis Civitas, quae Sanctissimo Salvatori dicata, Marialis quoque denominatur. Concursu populorum in dies percrebrescente, Marcus Teixeira Episcopus, saeculo decimo septimo aediculam valde ampliavit et in paroeciam erexit, quae sequente saeculo Templum vastitate conspicuum arteque magnificum, quale etiamnunc admiramur, facta est. Qua in sacra aede ars et pietas, ut pulchra ac devota fieret, inter se contendere videntur: novem autem altaribus harmonice in classica linea coniunctis decorata est, atque piis Sodaliciis ditata, quibus fovendae augendaeque pietatis erga Divinum Sacramentum nec non Deiparam Virginem cura commissa est. Indulgentiam insuper Plenariam in duobus sollemnioribus diebus festis qui ibi celebrantur, alter in honorem ipsius Divini Sacramenti, in honorem alter Mariae sine labe conceptae, Pius Pp. VI, felicis recordationis, Decessor Noster, anno millesimo septingentesimo octogesimo secundo concessit. Quibus omnibus mature perpensis, ac tertium saeculum ex quo Immaculata Deipara Virgo Caelestis ac Maxima totius Lusitaniae Regni atque eius dicionis Patrona declarata fuit hoc anno celebrari, nec non sollemnia die octava mensis Decembris proxime ventura maximo splendore maximoque populi concursu, una cum Mariano Congressu habitum iri considerantes, libenti ac paterno animo vota supra memorati Curionis, amplissimis Venerabilis Fratris Augusti Alvari da Silva, Sancti Salvatoris in Brasilia Archiepiscopi, commendationibus suffulta, excipienda censuimus. Quapropter, audito quoque Venerabili Fratre Nostro Carolo Sanctae Ro-

manae Ecclesiae Cardinali Salotti, Praenestino Episcopo ac Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum memoratam Ecclesiam Immaculatae Conceptionis Beatae Dei Geniticis semper Virginis Mariae, vulgo « da Praia » nuncupatam, intra fines archidioeceseos Sancti Salvatoris in Brasilia positam, titulo atque honorificentiis *Basilicae Minoris* libenter decoramus. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illique Ecclesiae « Conceptionis da Praia », ad quam pertinent, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam, secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Octobris, in festo Sacratissimi Rosarii Beatae Mariae Virginis, anno MCMXXXXVI, Pontificatus Nostri octavo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

DOMINICUS SPADA
a Brevibus Apostolicis

II

SANCTA ANNA, B. MARIAE V. MATER, UNIVERSAE DIOECESIS AB EIUS NOMINE NUNCUPATAE PATRONA PRAECIPUA DECLARATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Venerabilis Decessor Noster Pius Pp. X, cuius heroicas virtutes paucis diebus ante laetabundi promulgavimus, quo spirituali fidelium iugiter numero succrescentium utilitati magis in Domino consuleret eorumque pietatem congruenti remuneraretur praemio, novam in dicione Sancti Salvatoris dioecesim a Sancta Anna nuncupatam, anno MCMXIII, provide sciteque instituit. Fragrans exinde erga Deiparae Virginis Matrem Civium pietas, quae eidem urbi condendae ac nominandae feliciter praefuerat, magis magisque in dies

percrebuit, adeo ut ipsi uti Caelestem Patronam Sanctam Annam sponte sibi adsciscerent ipsiusque gloriarentur nomine. Nil mirum proinde si eorundem fidelium ope ac sumptibus in honorem Sanctae Annae Ecclesia Carhedralis, in memorata dicione prae ceteris pulchritudine excellens, exstructa et dicata sit, ad quam, peregrinantium more, permulti quotannis conveniunt fideles. Quae cum ita sint, Venerabilis Frater Iacobus Richardus Vilanova y Meléndez, Episcopus Sanctae Annae, vota quoque Venerabilis Fratris Episcopi Auxiliaris nec non Vicarii Generalis, utriusque Cleri universique populi excipiens, enixas Nobis adhibuit preces ut Sanctam Annam totius dioeceseos eiusdem nominis praecipuam Patronam benigne declarare dignaremur. Nos porro, quo inter praefatam Sanctam et populum fidelem vincula arctius obstringantur uberioraque in eum caelestia descendant munera, huiusmodi precibus perlibenti annuendum animo censuimus. Quapropter, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, Sanctam Annam, Beatae Mariae Virginis Matrem, universae dioeceseos ab eius nomine nuncupatae in Republica Sancti Salvatoris praecipuam apud Deum *Patronam* confirmamus, declaramus et constituimus, omnibus et singulis privilegiis liturgicis adiectis, quae locorum Patronis rite competunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his a quovis auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die VIII mensis Septembris, anno MCML, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

III

BASILICAE MINORIS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS CUMULATUR ECCLESIA BEATAE MARIAE V. DE PERPETUO SUCCURSU IN LOCO « PUCHHEIM » LINCIENSIS DIOECESIS.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Beatae Mariae Virginis a « Perpetuo Succursu » sacram, aedem in loco « Puchheim », intra Linciensis dioecesis fines, fidelium catervae frequentes, quemadmodum ad Nos allatum est, solent adire, Almam Deiparam in vota vocaturi. Sed et viri iuvenesque eo secedunt ut aeternis commentandis rebus per statos dies vacantes, ad christianae vitae certamem evadant expeditiores. Est igitur hoc templum continensque coenobium Religiosorum Sodalium a Sanctissimo Redemptore caput quoddam unde munera superna ad populum ubertim dimanant. Domus Dei quae, cum anterior aedes fuisset angustior, exeunte saeculo proxime praeterito est exstructa, amplitudine et forma admodum commendatur. Lateribus enim duae turres excelsae adhaerent et aula ipsa, in tres partes divisa, cultu egregio ac picturarum specie eximia renidet. In ara maxima locatum Beatae Mariae Virginis Opiferae simulacrum, exemplum eius quod in hac urbe excolitur, religiosissimum est apud Austriae Superioris incolas. Quam piam alacritatem vel adaugere cupiens, eiusdem templi antistes eas Nobis preces adhibuit ut id ipsum Basilicae Minoris dignitate condecorare dignaremur. Nos autem qui nihil antiquius habemus quam ut Caelorum Reginae omnem quem possumus honorem adiungamus, vota huiusmodi libenti animo volumus explere. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefecto, omnibusque rei momentis attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam Deo in honorem Beatae Mariae Virginis « de Perpetuo Succursu » in loco « Puchheim », intra Linciensis dioecesis fines, consecratam, titulo et honore *Basilicae Minoris* afficimus et exornamus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis quae templis hoc nomine insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare po-

terunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis Aprilis, anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

IV

PAROECIALE TEMPLUM LOCI « TONGRE-NOTRE-DAME » DIOECESIS TORNACENSIS TITULO AC PRIVILEGIIS BASILICAE MINORIS DITATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Almam Dei hominumque Matrem Mariam Christifideles pagi « Tongre-Notre-Dame » vulgo appellati et continentis quoque regionis accepimus religiosis venerari obsequiis. Priscis enim temporibus Aedes, Eius honori sacra, ibi excitata est, quae, increscente huius loci pia celebritate anno MDCCCLXXV, a fundamentis fuit restituta. Quae, utpote amplitudine spectabilis atque artis operibus differta, eiusmodi est ut christiani populi praecipuus erga Dei Genetricem amor luculenter inde percipiatur. Admireris ibi veterum sacrarum vestium ornamenta, auri fabrebacti vim, gemmarum variam pulchritudinem et in primis Sanctae Crucis thecam pretiosam. Durateum signum Beatae Mariae Virginis, seculo XI exsculptum, die VIII mensis Septembris, anno MDCCCLXXXI, rec. mem. Leonis Pp. XIII, Decessoris Nostri, nomine, inter frequentis populi vota a Tornacensi Antistite aurea redimitum est corona, quod, diademate impie sublato, Veneralis Frater Ferdinandus Cento, Archiepiscopus Seleuciensis pierius Nosterque in Belgica Nuntius Apostolicus, regio eiusmodi insigni die I mensis Iunii, anno MCMXLIX, iterum revinxit. Neque intermisso studio supplicum turbae per annum, praesertim vero die II mensis Februarii, hoc templum adeunt, ut Caelestis Virginis laudes concinant Eiusque opem implorent.

Sed et pia sodalitas, ab Eadem Deipara nuncupata et anno MDCCCLXXX ibidem constituta, divinarum rerum nequaquam est incuriosa.

Quo igitur tam probatus cultus vel novis augesceret incrementis, preces ad Nos delatae sunt ut Aedem, quam diximus, Basilicae Minoris nomine ac iure donaremus. Quae vota, Venerabilis Fratris Caroli Himmer, Tornacensis Episcopi, ampla commendatione suffulta, libenti animo statuimus explere. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefecto, omnibusque attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum paroeciale Templum loci vulgo nuncupati « Tongre-Notre-Dame » et intra fines Tornacensis dioecesis positi ad honorem ac dignitatem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis quae Ecclesiis hoc nomine insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere : suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Aprilis, anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

EPISTULAE

I

AD REVM̃UM P. IOANNEM BAPTISTAM IANSSENS, SOCIETATIS IESU PRAEPOSITUM GENERALEM EUNDEMQUE CONSOCIATIONIS AB « APOSTOLATU ORATIONIS » MODERATOREM SUPREMUM.

PIUS PP. XII

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Pastoralis curae varia instituta, quo melius temporum necessitatibus respondeant, indigent ut interdum servatis indole et spiritu cuiusque propriis, novis, quas attulerit aetas, condicionibus aptentur. Id iampridem contigit Piae quoque Consociationi, cui ab « Apostolatu Orationis » nomen est inditum; haec enim, quae a modicis exorta principiis, per plus quam centum annorum spatium in magnum opus succreverat, ut semet ipsam novis rerum adiunctis accomodaret, non semel — ut postremo evenit anno MDCCCLXXXXVI — sua Statuta retractavit, integris tamen servatis iis, quae essentialia Operi iudicabantur. Cum vero per quinquaginta, qui exacti sunt, annos haud pauca ab Apostolica hac Sede prodierint sive documenta sive hortamenta, quae ad varia apostolatus genera spectant, ipsamque, quam diximus, Piam Sodalitatem, utpote nostris hisce temporibus peropportunam, valde dilaudant, optimo consilio ii viri, qui eam moderantur, multo efficaciorem eam posthac fore autumarunt, si horum S. Sedis actorum vim sibi assumeret et quasi combiberet. Hac de causa Pii huius Sodalicii Statuta diligenter retractata fuere, ac nova induta forma, Sanctae huic Sedi fuere proposita.

Nos vero, quibus uberrimi peculiaris huius Apostolatus fructus plane cogniti sunt, quique alias non semel eum tantopere commendavimus, pro studio, quo animarum bonum ac Dei Regni amplificationem fovemus, ea quae diximus retractata Statuta examinari iussimus, ipsaque digna visa fuere, quae plenam Nostram approbationem mererentur.

Ea enim momentum gravitatemque praeclara in luce ponunt Piae huius Consociationis; eamque, sive assequenda salus singulorum christifidelium spectatur, sive pastoralis cura universalis, exhibent tanquam efficacissimum instrumentum hodierni ministerii apostolici.

In iis quae, secundum nova Statuta « Apostolatus Orationis » ad curam pastoralem confert, tria haec peculiarissimo modo commendanda putamus.

Imprimis dum hoc Sodalicium eo christifideles inducit atque impellit, ut suis precibus, suisque laboribus, incommodis, iacturis Deo oblatis, Ecclesiae ministerium adiuvent, et hac ratione ad propagandum Christi Regnum adlaborent, non solum animarum studium impensamque de aeterna proximorum salute sollicitudinem in iisdem excitat, sed usum etiam earum rerum ac supernaturalium virium promovet et auget, e quibus efficacia et successus omnium laborum apostolicorum pendent: hac de causa id etiam efficit ut eiusmodi apostolatus operositate mere exteriore ne absolvatur, neve solidis destituatur fructibus.

Peculiari praeterea mentione dignus est modus perfectissimus, quo « Apostolatus Orationis » sodales ad precandum ad seseque apostolica ratione devovendos inducuntur; ab iis scilicet non exigitur tantum una vel altera precationis formula, sed iidem monentur etiam ut totam suam vitam in orationem ad Deum admotam et in sui ipsius veluti sacrificium apostolatus causa convertant. Per cotidianam oblationem, quae « Apostolatus Orationis » elementum essentiale est, quaeque aliis pietatis exercitiis, praesertim erga Sacratissimum Cor Iesu, perficitur, tota sodalium vita in sacrificium laudis, satisfactionis et impetrationis mutatur; et hac ratione id in actum perducitur, quod in baptismate inchoatum est: vitam nempe christiani hominis quasi sacrificium esse oportere, quod in Christo et cum Christo ad honorem Dei Patris et ad salutem animarum offeratur. Varia autem pia exercitia, quibus « Apostolatus Orationis » utitur, ut hanc oblationem compleat et perficiat, una simul sumpta quandam continent christianae perfectionis summam, et ea omnia praebent, quibus christiani per apostolatus sacrificium suam vitam sanctam efficiat, suaeque vitae sanctimonia apostolatum ipsum fructuosissimum reddant.

Dein, eo ipso quod praebet « perfectissimam vitae christianae formam » (Litt. Pii XII ad Praepositum Generalem S. I., 19 Sept. 1948; *A. A. S.*, a. XL, vol. XV, p. 500) « Apostolatus Orationis » continet quoque summam quandam et quasi compendiariam regulam curae pastoralis, quae, inter magnam apostolicorum operum varietatem sacris Pastoribus usui, non sine magna utilitate, esse potest.

Qui sacri Pastores, si oves sibi commissas ad hoc adduxerint, ut actus ab « Apostolatu Orationis » propositos continenter studioseque exerceant, tunc haud dubium esse potest quin ipsi partem non exiguam sui ipsorum officii impleverint. Nam dum christifideles inducunt ad cotidianum actum oblationis rite eliciendum, eos docent atque adhortantur, ut vitam suam tamquam sacrificium Deo Patri una cum Christo offerendum habeant, utque cotidie magis ad christianam illam perfec-

tionem aspirent, qua sua cuiusque vita fiat revera oblatio non indigna Deo. Cum vero sodales eo permovent ut huiusmodi oblationem cum Eucharistico Sacrificio coniungant, et quam saepissime possunt, « in spiritu reparationis » ad Sacram Mensam accedant, sacrorum Pastorum adhortatio huc contendit, ut Incruentum Altaris Sacrificium christifideles constituant veluti suae vitae centrum. Ac praeterea, dum eos adhortantur ut suam oblationem per Mariam faciant, et qua filii amantissimi, utpote studiosae suae fiduciae signum erga Cor miserentissimum Matris nostrae, pie libenterque Rosarium recitent, Sacri Pastores ad actuosam solidamque in Deiparam Virginem pietatem eos instruunt. Dum vero sodales edocentur debere se, preces, aerumnas laboresque suos cotidie offerre pro necessitatibus Sanctae Matris Ecclesiae, prout ipse exoptat Iesu Christi in terris Vicarius, seu, ut dici solet, ad eius mentem, non solum fovent in semet ipsis amorem erga Ecclesiam ac plenissimam cum eadem consensionem, sed impensum etiam qua filii oboedientiae studium erga Summum Pontificem enutriunt, sine quo vera inter membra et Caput Mystici Christi Corporis coniunctio haberi non potest. Per incensissimam denique pietatem erga Sacratissimum Cor Jesu, quae quasi anima est huius Piae Sodalitatis, christifideles ad perquam intimam cum Christo coniunctionem vocantur: hinc fervidior fit singulorum caritas erga proximos, hinc eorundem preces, labores dolores-que ad summum efficacitatis apicem adsurgunt; hinc denique studium excitatur sese Divino Cordi consecrandi Eique piamenta assidue exhibendi, quibus, Ipso pollicente, torrentes miserationis et gratiae in homines, tot miseriis implicitos, novimus esse largiendos et revera passim in eosdem effundi.

Nec praetermittendum est hanc, quam diximus, veluti summam et quasi compendiariam regulam curae pastoralis, ope « Sectionum » peculiarium quas haec Sodalitas promovet — ut, exempli gratia, ope « Foederationum a Sacratissimo Corde Iesu » pro viris, et « Cruciatae Eucharisticae » pro pueris, quas Apostolica haec Sedes summopere iam dilaudavit — posse facilius aptari ad diversas civium classes, ita quidem ut uniuscuiusque indoli, optatis, necessitatibus magis respondeat.

Quae cum ita sint, nova Statuta Piae Consociationis « Apostolatus Orationis » auctoritate Nostra libenter probamus; eamque, hoc modo conformatam, sacrorum Antistitibus etiam atque etiam commendamus, futurum omnino confisi ut iidem accurate diligenterque pro sua cuiusque parte eamdem sint propagaturi. Spem etenim fovemus certam, fore ut haec Pia Sodalitas, nedum munera aliorum Operum Apostolicorum impediat vel usurpet, eadem potius ad altiorem sanctitudinis gradum

evehat, omnes imbuendo sanctitatis et amoris erga Deum hominesque spiritu, qui in Sanctissimo Corde Iesu assidue viget et ad congrue operandum movet.

Caelestium interea gratiarum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, cum tibi, dilecte fili, tum singulis eiusdem Consociationis moderatoribus ac sodalibus Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXVIII mensis Octobris, in festo Domini Nostri Iesu Christi Regis, anno MDCCCCLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

PIUS PP. XII

II

AD CLARISSIMUM VIRUM FELICEM BATTAGLIA, UNIVERSITATIS STUDIORUM BONONIENSIS RECTOREM MAGNIFICUM: OCTAVO ELAPSO SAECULO A « DECRETO GRATIANI » EDITO.

PIUS PP. XII

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Quod Nobis renuntiatum est, Bononiensem studiorum Universitatem octavum exactum saeculum mox celebraturam esse, ex quo Decretum a Gratiano editum fuit, cum haud uno nomine sit valde probandum, id ipsum laude exornare Nostra non ambigimus.

Decorum profecto et utile est praeclarum istud doctrinarum domicilium tanti viri, qui istic vixit et iuris ecclesiastici disciplinam professus est, opus plurimi momenti et molis novis studiis in apricum proferre et variis ex partibus illustrare. Gratianus enim propterea quod ecclesiasticos canones elapsarum aetatum — ingentem et informem legum cumulum — reperit, ordine collocavit, sapienti addita commentatione digessit, apud posteros merito aestimatus est ecclesiastici iuris docendi altor et parens. Cuius eximii laboris tantus fuit exitus ut innumeri iuris cultores postea in explanatione eiusdem Decreti incubuerint indeque legum scientia imbuti sint; quod Decretum primum editorum canonum Corpus fuit et Codici iuris canonici publica auctoritate promulgando, quamvis diuturna post aeva, iter quodammodo stravit.

Optamus igitur avemusque, ut doctorum virorum conventus, istic habendus, prosperos assequatur affectus atque tot inter avia et devia, quibus praesens, infestum virtuti, exagitatur saeculum, recti et iusti

amor pollentior inde efflóreat. In hoc eximio et perutili studio praecellere sane debet Bononiensis studiorum Universitas, quae, tot inter praeclaras laudes per saeculorum decursum demessas, Gratiani nomen et opus recenset, itaque per virtutis et doctrinae, negatum ignavis, iter, ad celsiores usque ascensus excipit incitamenta. Quod quidem dum vehementer cupimus, salutaria et fausta quaelibet a summo aeternoque Deo, a quo cuncta defluunt bona, tum tibi tum universis, qui supra memorata agent sollemnia, necnon laboribus, quos ipsi exantlabunt, et consiliis, quae provida sument, adprecati, Apostolicam Benedictionem impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XX mensis Martii anno MDCCCCLII, Pontificatus Nostri decimo quarto.

PIUS PP. XII

ALLOCUTIONES

I

Ad christifideles, die Paschatis Resurrectionis D. N. Iesu Christi, devota omina Summo Pontifici ac Veneratissimo Patri in foro Sancti Petri proclamantes *

Romani! Ospiti pasquali della Città eterna! Diletti figli e figlie di tutto il mondo!

Ancora una volta, giubilante e trionfante, è risonato sulla terra l'annunzio dell'Angelo della Pasqua, che invita le anime alla santa letizia: *Surrexit!* Gesù è risorto! Alleluia!

Fedeli cristiani, voi avete ben ragione di esultare, celebrando il radioso giorno della Risurrezione: in esso, Gesù ritornò alla vita; in esso la sua divina missione, che agli occhi dei pavidi sembrò offuscarsi nell'ora della Passione, rifulse di confermato splendore. Egli resterà l'eterno dominatore della morte, l'eterno possessore della vita. Ieri, oggi, nei secoli, come nella prima Pasqua, Cristo è vivo e vincitore.

Ma la vita indistruttibile di Cristo si comunica al suo Corpo mistico. Perciò vi diciamo: Vivete, vivete, diletti figli. Voi avete già tante ansie per assicurare il sostentamento della vostra vita materiale; voi lavorate o cercate lavoro, perchè non manchi il pane e una conveniente

* Habita die 13 Aprilis mensis a. 1952.

dimora ai vostri cari; giusta e doverosa sollecitudine! Ma — aggiungeremo con le parole stesse di Gesù, il divino Maestro dell'eroismo — « che giova all'uomo guadagnare il mondo intero, se poi perde l'anima sua? Ovvero, che può dare l'uomo in cambio della sua anima? » [1] Ora l'anima non può vivere senza respirare, non può vivere senza nutrirsi; e il respiro dell'anima è la preghiera, il suo nutrimento è l'Eucaristia.

Tuttavia non basterebbe che voi stessi foste risoluti a vivere sempre più intensamente, se rimaneste insensibili a che altri muoia intorno a voi. Perciò Noi ameremmo che, in questa piazza, da migliaia e migliaia di cuori si levasse come un grido solenne: « vogliamo far vivere anche i nostri fratelli: ovunque incontreremo la morte, vogliamo arrecare la vita! » Noi ameremmo che sorgessero immense falangi di apostoli, simili a quelli che la Chiesa conobbe ai suoi albori. Parlino i sacerdoti dai pulpiti, per le vie e per le piazze, ovunque è un'anima da salvare; e accanto ai sacerdoti, parlino i laici, che hanno appreso a penetrare con la parola e con l'amore le menti e i cuori. Sì, penetrate, portatori di vita, in ogni luogo, nelle fabbriche, nelle officine, nei campi, ovunque Cristo ha diritto di entrare. Offritevi, riconoscetevi fra voi, nei diversi centri del lavoro, nelle medesime case, uniti tutti, strettamente, in un solo pensiero in una sola brama. E poi aprite grandi le braccia ad accogliere quanti verranno a voi, ansiosi di una parola soccorritrice e rasserenatrice in quest'atmosfera di tenebra e di sconforto. Contro gl'industriali del peccato mettetevi all'opera voi, edificatori della casa di Dio! In tal guisa la vittoria della fede, della virtù e dell'amore, che auspichiamo nel più vasto e compiuto significato, accrescerà in voi la letizia cristiana, estenderà salutarmente i suoi frutti anche al mondo ignaro o dimentico di Cristo, stabilendo e assicurando quella pace, per la quale incessantemente leviamo le nostre suppliche.

O Gesù risorto, gloriosamente vivo nella Tua umanità, Ti rendiamo grazie per il dono della vita, che con la Tua risurrezione hai comunicato alle nostre anime e alla Tua Chiesa. Fa che questi Tuoi figli, qui devotamente adunati, con indefessa perseveranza l'alimentino in sè, rimanendo a Te uniti, praticando i Tuoi precetti. Concedi che la luce pasquale della Tua grazia rischiari la via che deve ricondurre gli animi smarriti e randagi alla casa del Padre Tuo! Risolleva a virtù coloro, che portano il Tuo nome, ma sono immemori di ciò che esso esige; apri al Tuo lume e al Tuo amore le menti e i cuori di quanti prestano orecchio alle voci del dubbio, della negazione, della opposizione al Tuo mes-

[1] Matth. 16-26.

saggio salvifico, o che si lasciano sedurre dai vani e ingannevoli allettamenti terreni. Rinnova la letizia della Tua Chiesa, e asciuga le lacrime dei suoi membri sofferenti, addolorati, angustiati, perseguitati per la verità e la giustizia. E trovi eco sincera in tutti gli uomini il saluto che Tu, risorto, rivolgevi ai discepoli: *Pax vobis!* La pace sia con voi. Così sia!

II

*Ad Delegatos internationalis Conventus ad celebrandum « Decretum Gratiani » octo ante saecula editum, Romae conclusi.**

Voluistis, praeclari viri, singularem sollemnemque in modum octies revoluta saecula, ex quo Gratiani decretum editum fuit, celebrare. Sapientiae plenum erat huiusmodi consilium, quod feliciter in rem deductum est. Enimvero praeter plane eruditos viros, praeter eos, qui sacros canones colunt et forensem operam profitentur, plerique hominum, etiam doctrina instructi, quamvis litteras, ingenuas artes, orbis terrarum historiae enarrationes et eventuum series animo repetere consuescant, raro tamen studia et curas suas conferunt ad id genus rerum, quas ipsi nunc memorando pertractastis.

Summopere igitur oportet, ii per vos penitus intellegant aut saltem inchoata cognitione respiciant, quantum Decreti eiusdem sit momentum et gravitas.

Itaque animus Noster, dum obsequio et humanitate vestra delectatur, avet etiam de opera et industria vestra gratulari. Hanc publica aestimatio non poterit parvi pendere, sive consideratur perpetui conaminis granditas, cuius Gratiani Decretum prosper est eventus et exitus, sive palam fiunt eius usus et egregia inde parta emolumenta, sive declarantur, abditae quidem canonicis formulis specie severis et arescentibus, pulchritudo, sanctitudo, materna caritas Ecclesiae in munere obeundo, quod ad leges ferendas, ad iudicia exercenda, ad sententias exsequendas pertinet.

I. Ut quis aeque perpendat molem laboris, quem Gratianus suscepit et omnino laudabiliter, quamvis indubia menda contineat, perfecit, necesse est, intret in inextricabilem silvam documentorum a primordiis christiani nominis usque ad medium saeculum duodecimum, quae illic compinguntur: coacervantur enim exscripta, quae e Sacris Scripturis,

* Habita die 29 Aprilis mensis a. 1952.

e Sanctis Ecclesiae Patribus, e legibus tum canonicis, tum civilibus deprompta sunt.

Inspicienti etiam leviter Tabulas in Prolegomenis criticae editionis a Friedberg confectae, patent ecclesiastica et iuridica documenta, paene infinitum veluti rete arteriarum et venarum, per quae Ecclesiae vita ab apostolico aevo per primos christianae aetatis mille annos diffunditur, inexhausta formarum varietate conspicua, sive in Orientalibus, sive in Occidentalibus regionibus, certationibus et triumphis insignis, eo quidem iugi et adsiduo nisu dedita, ut omnes nationes christianae humanitatis cultu instituat et formet, Orientales, Romanas et Germanicas antiquitates spirituali patrimonio suo quodammodo hereditatis partes adiciens.

Quod Iustinianus in iure Romano ordinando fecerat, id simili quadam ratione in iure canonico Gratianus fecit; atque mirum in modum nisus est, ut Decretum unitate, apta structura, consensione innumerarum diversarumque partium, quae ibidem collectae et dispositae sunt, praeluceret.

Unitatem dicimus; profecto Corpus iuris hoc praecipuum exquirit ornamentum, hanc proprietatem. At vero quam difficile erat Gratiani aetate invenire cardinem, quo huiusmodi unitas toto suo pondere ferretur in tanta copia et amplitudine legum, ex quibus disciplina ecclesiastica suas hauserat formas. Ipsamet inscriptio « Concordia discordantium canonum », quam admodum probabiliter auctor ipse, Camaldulensis monacus, suo indidit operi, mirantibus oculis eorum, qui in disciplinae ecclesiasticae labyrinthum gressum inferre ausi erant, radianti in lumine collocavit granditatem illius consilii praeclari quidem ingenii, quo is sperabat se sanaturum esse malum itemque vitaturum impedimentum, in quod alii bene multi pedem offenderant.

Haec unitas minime dicenda est plus minusque arbitrarius et artificiosus congestus. Magistro meritae tribuitur laudi, quod eandem unitatem statuit in convenientia et consonantia methodicae structurae, qua multo minoris aestimanda sunt retro compacta Collectanea. Enimvero is in iuris historia eminet veluti coryphaeus, qui multitudini discipulorum et explanatorum praeit.

Cum omnes Gratiani opus summi esse pretii communiter ducerent, superiorum aetatum canonicas sylloges deseruerunt, ut in « *Concordiam* » sua conferrent studia eandemque commentariis illustrarent. Hic enim lucidus ordo; hic legum latarum materies, immanis indigestaque moles, perite selecta, disposita, coniuncta, rationi et censurae subdita, ut rerum significatio et momentum elucerent. Inde Decretistarum, quos

vocant, variae Scholae originem duxerunt: Bononiensis, Gallica, Anglo-Normanna, Hispanica, quae insigni certatione invicem praeripere honorem contendebant, quaenam ex iis sagacius et subtilius Gratiani contextum intellegeret, quaenam melius explanaret vim et legitimam significationem, quam is *Auctoritatibus* et suis praeclaris *Dictis* dederat. Quae scholae universae, quasi fulgens spectaculum, iuridicae et canonicae doctrinae omnigena documenta obtulerunt, quae maiorem ciebunt admirationem, si, ut optandum est, in Decretistarum Corpus redacta erunt.

Haud putandum est Gratiani gloriam infuscari, si ea manifesta fiunt quae is decessoribus debet suis, tum canonistis, ut aiunt, et theologis, tum aequalibus aetate iuris cultoribus, in quibus praestat Irnerius, *lucerna iuris,* in Bononiensibus scholis florens iuris facile princeps.

Singulare et proprium est Dei, qui cum nemine id participat, ut res ex nihilo condat. Opera contra hominum, licet celsa et sublimia et suis constantia viribus, licet in humani generis eventibus numquam defutura imprimant vestigia, omnia tamen conectuntur cum praeviis quibusdam rebus, quae illa praepararunt et possibilia effecerunt. Poterunt futura aetate eruditi viri nova indagando arguere — a limine hoc non reicimus — *Decreti* opus vindicandum esse alicui Monacorum conlegio, circa solum magnumque pluteum Camaldulensis Coenobii a Ss. Nabore et Felici coalescentium, tamen verum indubitatumque hoc erit a Gratiani opere in historia iuris canonici novum saeculorum ordinem ortum esse ita quidem, ut haud immerito a Sarti [1] auctor, de quo agebat, hac nota indicaretur, « *quasi parens et auctor iuris canonici deinceps habitus est* ». Per ipsum revera ius canonicum eo dignitatis evectum est, ut id in iuris doctrina omnino necessarium autumaretur, tum in eius disciplina impertienda — quod quidem Gratianus felici auspicio Bononiae facere incepit —, tum in iuris prudentia atque in ipsis legibus ferendis. Ut Gratiani Decretum in Galliam, in Hispaniam, in Angliam, in Germaniam pervenit, ubi eodem tempore opera Irnerii et Bononiensium iuris cultorum propalabant vulgabantque notitiam iuris romani in novam redacti formam, statim iuris canonici disciplinam in aequo dignitatis gradu collocabat efficiebatque, ut *Summae, Glossae, Apparatus* inde originem ducerent, quae quidem praesertim in Bononiensi, Parisiensi et aliis Universitatibus studiorum praemostrant auream exorsam aetatem classici, ut aiunt, iuris canonici atque ad universae iuris doctrinae incrementa praecipue contulerunt.

[1] *De claris Archigymnasii Bononiensis Professoribus a saec. XI usque ad saeculum XIV*, Bononiae, t. I pag. 344, n. XXVI.

II. *Decretum Gratiani,* ut omnes sciunt, ab Apostolica Sede numquam ratum habitum est. Quod nemo stupet, dummodo cogitet, quid propositi Camaldulensis monachus operi suo statuerit, quam rationem et viam in eo conscribendo secutus sit, quinam huius incepti exitus fuerint. Multum haud dubie interest inter id, quod Gratianus industria et opera sua persolvit, et id, quod ex mandato Iustiniani imperatoris ad huius legum collectanea conficienda Tribonianus eiusque adiutores peregerunt.

Ipse *Concordiae* auctor, quasi in aes verba incidens, adfirmavit: *Negotiis definiendis non solum est necessaria scientia sed etiam potestas.*[2]

Nullum indicium est Romanam Curiam Bononiensi monacho mandasse, ut suum Decretum conscriberet. Perperam hoc aliqui opinati sunt, labili coniectura excepta ex inscriptione, qua opus e manibus auctoris in lucem prodivit *Concordia discordantium canonum.*

Tamen Decretum statim optima floruit opinione, non solum quia praesertim apud Alexandrum III Romanum Pontificem (Rolandum Bandinelli), Gratiani explanatorem et abbreviatorem, cito gratiam invenit, verum etiam quia tum Curiae tum Scholae magnopere cupiebant possidere Sacrorum Canonum syllogem, in qua inter se repugnantia et inutiliter repetita abessent. Accedit quod allegatae auctoritates generatim de tuta eius spondebant doctrina.

Decreti conscriptio et explicatio canonum, qui specie inter se discrepabant, disciplinae iuris canonici parem dignitatis locum impertierunt illi, quo eminebat ius civile, ab Irneriana schola ad celsa fastigia provectum; una simul communi Ecclesiae disciplinae pollentem attulerunt vigorem, qui quantum secum ferret utilitatis subsecuta saecula demonstrarunt. Theologiae et sacrorum canonum cultores mutua quadam contentione exscripta locosque ferendo, interpretando, enodando, conciliando, magnopere profuerunt, ut constabiliretur unitas, innixa fundamentis tum theologicis tum iuridicis, disciplinae optimae: indeque et ingeniis et moribus magnum exstitit emolumentum, Ecclesiastici iudices deinceps poterant firmiter et tuto ius in usum actionemque vitae deducere.

Nihilo secius silentio praeterire nec possumus nec volumus errores, in quos Gratianus lapsus est: exscripta falsa vel dubia in *Concordiam* recepta; iuridica antiquitatis documenta, minoris aestimanda, saepius allegata; mendosae historicae inscriptiones haud paucae prolatae. Nec dicimus nonnullas eius sententias non congruere cum doctrinis aetate posterioribus, quae eas refellerunt vel emendarunt.

[2] *Dictum Gratiani* ante c. I, D. XX.

Certo excusabilia sunt huiusmodi errata in tam ponderosae molis opere; at eadem haud minore necessitate exquisiverunt correctionem Decreti, quam nonnulli Romani Pontifices, praesertim Gregorius XIII, eximiis ecclesiasticis viris demandarunt et alii excellentissimi viri docti postea prosecuti sunt.

Manifesto oportet, Romanorum Correctorum editio, in magnam inserta collectionem, quae *Corpus iuris canonici* constituit, permaneat. Attamen nihil prohibet, quin etiam omnino optabile est, ut, quemadmodum laudabiliter a quibusdam propositum est, typis cudenda paretur nova critica editio: ita hac in re historiae decursus patebit; evidentiore in lumine ponentur rationes et viae, quibus opus conditum est, necnon explanationum sensus, egregii Camaldulensis coenobitae promerita eiusque industriae processus; nodosae et intricatae exsolventur quaestiones quae Romanae Ecclesiae disciplinae progressum indagantibus interdum occurrunt. Haec autem critica editio conficienda est, prout nunc temporis ars et ratio exigit: nam Friedbergensis editio, quamvis indubiis laudibus praestet, iam non satisfacit votis eorum, qui in rimanda iuris canonici historia praeminent.

III. Saepius iuridicae disciplinae tum civili, tum canonicae, et eius contextibus, legibus, codicibus ii qui in ea rudes et imperiti sunt, inamabilis et severi vultus lineamenta fingunt: ibidem nihil aliud reperiunt praeter *fas* et *nefas* adsidue ingeminata nomina. Inde liquidum est ipsos eam non callere et, prorsus evidentius, in eius penetralia ingressos non esse. Quodvis humanarum legum corpus refert sui cultum auctoris, sive is singulus homo est, sive consociatio, sive natio. Antiquae Urbis amplitudo et dignitas suo ipso nitore collustrarunt gravitatem legum duodecim tabularum, quae, ut *Livius* [3] ait, in « immenso aliarum super alias acervatarum legum cumulo » « fons omnis publici privatique iuris » exstabant.

Nonne lex Dei, etiam antiqui Foederis, quae lex timoris appellata est, tantummodo cum ad novam compararetur, supernam maiestatem et paternam clementiam Creatoris et Magistri maximi, quasi splendidis emissis radiis, praetulit? Qui solum metu correpti illam verentur, o quam alio obtutu eam aspiciunt ac Psaltes contemplabatur: « *Quam dulcia palato meo eloquia tua! super mel sunt ori meo* ».[4]

Numquid Christi lex, caritatis lex, poterat carere lineamentis, quae eam reddunt amabilem? Poterat eius Ecclesiae legi materna benignitas

[3] l. 3 n. 34.

[4] *Ps.* 118, 103.

abesse? Minime gentium. Videbatur tamen haec sentiendi dulcedo quasi comprimi et compesci legum particularium et subsequentium, quae per saecula coaluerunt, congerie. Recentiora studia, quae in Gratiani opere versantur, demonstrarunt canonicis legibus singularem notam et laudem inesse humanitatem, illum nempe christianae doctrinae et conscientiae sensum et afflatum, qui ad « investigabiles divitias Christi »[5] hominis animum admovet et qui illam ita extollit, ut haud infitiendam Romani iuris celsitatem prorsus transvehat.

In Gratiani Decreto, ob ipsa varia, quae ibidem proferuntur, auctorum documenta, perquam solido inveniuntur consociata foedere theologia et ius canonicum : hoc nempe illic in profundum christianae revelationis agit radices, inde almos haurientes latices, qui sunt *temperantia, humanitas, asperitatis remissio, caritas.* Quibus virtutibus et temperamentis iam ab initio iuri canonico proprius inductus est color et, quasi sigillum cera impressum, applicata est *aequitas christiana,* quae brevi in *aequitatis canonicae* formam transivit. In nonnullis operibus, quae Gratiani Decreto aetate antecesserunt, ut in *Libro de misericordia et iustitia* Algeri Leodiensis, in *Libro de vita christiana* Bonitii, Sutrini Episcopi, in *Panormia* Ivonis Carnutensis novo iubare emicat radiatque caritas, cuius spiritus intimam Ecclesiae vitam movent et alunt.

Apud Gratianum catholica doctrina numquam hoc spoliatur temperamento, quo destrictum ius materna et ad miserandum propensa caritas lenit ac mitigat, temperamentum inquimus, quo Romani Pontifices et Sancti Patres ecclesiastici iuris auctoritatem imbuerunt. Oporteret hic allegari integram causam XXIII alterius Decreti partis ac primas *Distinctiones causae* XXXIII (quaest. III), quibus celeberrimus tractatus *de Poenitentia* constat.

Quomodo obsurdescere poterant animi Ecclesiae Christi pastorum supplicibus sine intermissione vocibus, quibus caritas paternae urget mentis praecordia? « *Cogunt enim multas invenire medicinas multorum experimenta morborum. Verum in huiusmodi causis, ubi per graves dissensionum scissuras non huius aut illius hominis periculum, sed populorum strages iacent, detrahendum est aliquid severitati, ut maioribus malis sanandis caritas sincera subveniat* ».[6] Magnum hoc sonet monitum iis omnibus, qui aliquod munus homines regendi exercent, legum conditoribus et iudicibus! Ubinam aptius potiusque illustrantur animi dotes,

[5] *Eph.* 3, 8.

[6] C. XXV, D. L.

quas Pastorales Litterae S. Pauli Apostoli ab moderatoribus flagitant, quam in Distinctionibus primae partis Decreti? [7]

Romani Pontificatus defensio, eius actio, quae Christiades regit et in unum consociat, ecclesiastica vita, sacrarum rerum mercatura et laicorum usurpationibus exsoluta, patrimoniorum ordinatio, spiritualis christifidelium cultio praesertim sacramentorum usus et frequentia, socialis vitae officia, domesticus coniugum convictus, sacra liturgia, iudicia et poenae, et haec omnia locupletissime expositis iuris fontibus illustrata: haec est summa paene immensi operis, quod « *Magister Gratianus, divinae paginae doctor egregius* » [8] scripsit.

De canonicis collectaneis antiquioris Medii Aevi adfirmatum est fusiorem notitiam, quam super his praesens attulit aetas, magis magisque declarare magnum earum pondus atque momentum quod attinet ad historiam opinionum ac doctrinarum, etiam de Ecclesiae vita institutionibus ac regimine.[9] Quod quidem verius quadrat ad *Decretum* Magistri Gratiani, nam id, quasi splendidis illuminans res coloribus, plane testatur, quonam afflatu et instinctu Ecclesiae disciplina, eius Summorum Pontificum potestas, eius Antistitum sollicitudo et cura egerint ad compescenda populorum vitia et perturbationes, ad morum legis constabiliendum imperium singulis et sociatis hominibus valiturum.

Insigni Bononiensi Universitati studiorum, quae iure meritoque gloriatur de Gratiano in praeclarorum virorum suorum numerum adscito, et sibi honori tribuit immortalis eius Decreti octies saecularia sollemnia, una simul cum permultis egregiis sacrorum canonum et iuris cultoribus totius orbis terrarum, concelebrare, hodie gratulationes et vota Nostra depromimus: valeat ipsa etiam in posterum docta fingere ingenia, digna quidem, quae superiorum aetatum hereditatem excipiant atque ita ad christianae humanitatis et cultus sacrum patrimonium tuendum actuosas conferant vires. Solum enim christianae vitae et humanitatis praesidium potest impedire, quominus humanum genus in funestos barbariae errores morumque perversitatem relabatur, et, ad celsiores felicioresque ascensus per veritatis et virtutis itinera aptum, idem compellere.

Vobis denique, qui docta opera et sollerti industria vestra huic celebrationi parem rei gravitati nitorem comparastis, caelestium munerum copiam invocamus, et horum pignus Apostolicam Benedictionem ex animo impertimus.

[7] D. XXV, ad D. L.

[8] *Cod. Mon. Lat.* 1608½ in *Archiv für kath. Kirchenrecht*, vol 69, 1893, pag. 382.

[9] Cfr. Ghellinck S. I., *Le mouvement théologique du XII siècle*, pag. 417.

NUNTII RADIOPHONICI

I

AD CLERUM POPULUMQUE IAPONIAE, IN DIE PASCHATIS RESURRECTIONIS D. N. IESU CHRISTI *

Dum sollemni hoc die Romae ac toto terrarum orbe aera sacra Christum e sepulcro resurgentem annuntiant, horum concentuum comes, vox Nostra, Iaponi, radiophonice vos alloquitur. Ad vosmet affandum vocati, libenter hisce concedimus votis, quia diu optavimus palam facere et declarare, quinam erga vos alte repositi sincerique caritatis animo Nostro sensus inhaereant. Tanto terrarum spatio et pelagi tractu hinc seiuncti, paschale gaudium adprecantes, benedicimus vobis, Sacri Pastores, sacerdotes, missionales, omnesque Ecclesiae filii; itemque fausta, salutaria ac bona cuncta percupimus ceteris universis, qui ex Iaponica inclita estis gente. Fatemur vestra Nos trepida amantique voluntate prosequi; ac, quemadmodum ob tristia quae istic accidunt, Nos moeste, ita ob laeta, quae vobis eveniunt, iucundissime tangi. Siquidem voluntatis Nostrae in vos inclinatio efficit, ut omnia, quae vos commovent, quasi reciprocantes undae, in animi Nostri affectus recidant. Magni enim pendimus Iaponicam gentem eiusque prisca decora et egregias laudes. Magni pendimus eius comitate conditam gravitatem, firmam in agendo et patiendo constantiam, officiorum et communis utilitatis retinentissima studia, ad ingenuas artes miram propensionem, solidum suavemque familiae cultum, cui, proh dolor, nunc afferuntur haud parva pericula et damna. Aliud addimus, quod tacere non possumus. Gratulamur siquidem Evangelium — quod quidem vobis primum a Sancto Francisco Xaverio invectum est, ac nunc a tot strenuis missionalibus renuntiatur — maiorem apud vos aestimationem, benevolentiam, oblectationem parere. Cum persuasum Nobis sit Evangelii gloriam et lumen, veritatis et caritatis plenitudinem, omnium bonorum, quae a Deo proficiscuntur, summum esse fastigium, atque Christi gratiam naturam perficere, quid salutarius, quid praestantius percupere vobis valemus et volumus, quam ut albescens lux augescat istic in meridiem? Benignissimus Redemptor, intuitus nondum exorsam saeculorum fugam, vaticinatus est multos ex Oriente convivio caelestis Regni assessuros.[1]

* Datus die 13 Aprilis mensis a. 1952.

[1] Cfr. Luc. 13, 29.

Utinam id optabile contingat dilectae Nobis Iaponiae, pro cuius prosperis et secundis eventibus una cum his universis qui catholico nomine censentur, adsiduas Dei Numini admovemus preces: « O Rex gentium et desideratus earum... O Oriens, splendor lucis aeternae et sol iustitiae »...[2] propitius annue Iaponis, quos diligis quosque Nos etiam in Te vere diligimus.

Paschalia sollemnia, quae hodie celebrantur, hoc in memoriam suavissime reducunt: Divinum nempe Redemptorem, postquam iniquitate hominum, quos ad veritatem virtutesque assequendas vocaverat et allexerat, crucis fuerat patibulo affixus, ex triumphata morte surrexisse. Id christianos imprimis, at omnes etiam quotquot per terrestre hoc exsilium peregrinantur, ad vitae renovationem invitat; ad vitae renovationem dicimus, qua vitia funditus eradicentur, peccata restincta moriantur, recte componantur mores, ac quasi ver novum omnium in animis efflorescat.

Hoc, quod sacri Paschatis ritus significant, Iesus Christus, mortis victor, suo praelucente lumine suaque afflante gratia mortalibus omnibus concedat; sitque penitus redintegratae confirmataeque veri nominis pacis ac prosperitatis cotidie auctioris auspicium optatissimum. Id vobis peculiari modo, carissima Iaponorum gens, quos si praeclara facinora per saeculorum decursum tantopere nobilitarunt, recens tamen tot luctus, tot ruinae funestarunt, id vobis peculiari modo ominamur ac supplici efflagitamus prece; ita quidem ut quam primum e perturbatarum rerum fluctibus eventuumque trepido discrimine feliciora tempora Deo favente emergant.

II

CHRISTIFIDELIBUS AUSTRIAE OB SACRA SOLLEMNIA, VINDOBONAE IN CATHEDRALI TEMPLO SANCTI STEPHANI POST BELLUM RESTITUTO, CELEBRATA *

Geliebte Söhne und Töchter der Stadt Wien und der österreichischen Lande!

Gerne leisten Wir der Bitte eures allverehrten Kardinals Folge, in dieser feierlichen Stunde ein Wort zu euch zu sprechen und das Werk zu segnen, zu dessen Vollendung ihr euch zusammengefunden habt.

Die Wiederherstellung des Stefandomes ist euer gemeinsames Werk. Ihr alle: Regierung und Volk, die Stadt Wien wie die Bundesländer,

[2] Antiphonae Maiores ad Magnificat.

* Datus die 27 Aprilis mensis a. 1952.

Körperschaften und Verbände aller Art wie die Freigebigkeit der Einzelnen haben es ermöglicht. Wir sahen im Bild die Zerstörungen und Verwüstungen, die der Krieg dem Dom angetan hatte. Heute steht er wieder da in seiner alten Gestalt bis in die letzten Einzelheiten, fester gefügt und widerstandsfähiger als ehedem.

Was ihr vollbrachtet, ist eine gewaltige Leistung. Wir glauben sie deuten zu dürfen als Erweis eures entschlossenen Willens, in gegenseitiger Verbundenheit der Einzelnen und der Gemeinschaft, in geduldigem Harren und zähem Wirken euch hindurchzuarbeiten durch die Unsicherheit und Not dieser Jahre in glücklichere Tage echten Wohlstands in Freiheit und Frieden, Zeiten, die der allmächtige Gott in seiner Güte und Erbarmung euch schenken möge.

Der Stefansdom ist das Wahrzeichen Wiens, eurer Stadt, der ein Ehrenplatz zukommt unter den kulturschaffenden und kulturspendenden geistigen Mittelpunkten des Erdkreises. Dieses Wahrzeichen, ein katholisches Gotteshaus und selbst beredter Zeuge katholischer Kulturkraft, das mit seinem himmelanstrebenden Turm machtvoll zu Gott und den ewigen Wahrheiten emporzieht, es mahnt euch daran, dass die Seele und das Mark jener Kultur, durch die ihr gross und reich waret, das Christentum, der katholische Glaube ist. Wenn ihr in den Nachkriegsjahren, in Jahren der Armut und der Entbehrungen es erreicht habt, dass der Dom wieder in seiner vollen Schönheit aus den Ruinen erstand, so nehmen Wir dies als euer lautes Bekenntnis zur christlichen Kultur und zum Glauben eurer Väter mit seinem ganzen Reichtum und seinem unverzichtbaren Anspruch, dem Leben bis in seine letzten Verzweigungen Sinn, Richtung und Gesetz zu sein.

Iesus Christus, Gott hochgelobt in Ewigkeit,[1] der Herr der Kirche, möge es in seiner Macht, Liebe und Gnade fügen, dass eure Stadt und euer ganzes Land immer eine Heimstätte echten und tiefen Glaubens, christlichen Ehe- und Familienlebens, heiliger Zucht und Sitte, geordneter Freiheit und sozialer Gerechtigkeit seien. Aus solchem Boden erblüht wahres Glück; auf ihm lassen sich bleibende Werke leiblicher Wohlfahrt und irdischen Fortschritts wie geistiger und sittlicher Vervollkommnung errichten.

Wien ist in seiner Vergangenheit von schweren Drangsalen heimgesucht worden und hat tödliche Gefahren über sich kommen sehen. Es hat sie alle überstanden. Seine furchtbarste Not, da die Stadt dem Untergang nahe schien, ist bezeichnet mit dem Jahre 1683. Jenes Jahr ist aber auch das Jahr des grössten Sieges, den Wien je gesehen hat. Es war nicht nur ein Sieg der Waffen, es war noch mehr ein Sieg der

christlichen Idee, Grundlage und Ausgang friedlicher Eroberungen für christliche Gesittung und Daseinsordnung.

Es beglückt Uns, dass an der Befreiung Wiens im Jahre 1683 Unser Vorgänger Innozenz XI. ganz wesentlichen Anteil hatte. Euch seien jene Ereignisse Trost und Zuversicht in der gegenwärtigen Stunde. Die väterliche Sorge und das Gebet des Stellvertreters Christi gehören euch heute ebenso wie damals. Als Zeichen dessen und als Unterpfand der alles vermögenden Vorsehung Gottes erteilen Wir den im Stefansdom und um ihn Vereinten: Unseren ehrwürdigen Brüdern euren kirchlichen Oberhirten, den hohen staatlichen Autoritäten und Behörden, allen Unseren geliebten Söhnen und Töchtern, der Stadt Wien wie dem ganzen österreichischen Land und Volk aus der Fülle des Herzens den Apostolischen Segen.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

DECRETUM

ORDINARIATUS IN BRASILIA CONSTITUITUR PRO FIDELIBUS RITUUM ORIENTALIUM

Cum fidelium rituum orientalium numerus in Brasilia residentium in dies augeatur, cumque eorum spirituali bono uberius tutiusque fovendo unitas sacri regiminis etiam atque etiam peropportuna videatur, rebus mature perpensis et peritorum in re consiliis conlatis, Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali iisdem fidelibus unicum Ordinarium omnibus facultatibus praeditum, quibus hucusque singuli latini Ordinarii fruebantur, praeficiendum censuit.

Qua de causa, in Audientia diei 26 m. Octobris anni volventis, referente infrascripto Sacrae huius Congregationis Cardinali a Secretis, Sanctissimus Dominus Noster Pius, divina Providentia, Papa XII, pro omnibus fidelibus rituum orientalium in Brasilia degentibus, unicum Ordinariatum benigne erigere atque constituere dignatus est, unico Ordinario moderandum.

Ad hoc Ordinarii munus Eadem Sanctitas Sua Emum ac Revmum P. D. Iacobum Card. de Barros Camara, Archiepiscopum S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, elegit, ipsi facultate facta unum vel plures Vicarios Generales habendi.

Ordinarius pro fidelibus rituum orientalium in Brasilia degentibus sedulo curabit paroecias constituere, ecclesias aedificare, iuvenes in sortem Domini vocatos in Seminaria colligere et educare, genuinos ritus ac disciplinam integre servare, sacerdotes sive indigenas sive aliunde invectos fidelibus procurare, opera quaecumque sive ecclesiastica, sive socialia, sive scholastica fovere et coetera omnia quae in Domino prudenter iudicaverit.

Quodsi in aliquibus locis defuerit sacerdos pro fidelibus rituum orientalium deputatus, parochus loci bono spirituali istorum fidelium ipse provideat, facultatibus tamen ab Ordinario pro fidelibus rituum orientalium in Brasilia degentibus obtentis.

Ordinarius, de quo supra, quotannis relationem de suo ministerio ad Sacram Congregationem pro Ecclesia Orientali mittendam curabit.

Praesens Decretum vigorem habeat a die ab Excmo Nuntio Apostolico in Brasilia statuenda.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 14 Novembris 1951, in festo Sancti Iosaphat Martyris.

✠ E. Card. Tisserant, *a Secretis*

L. ✠ S.

† V. Valeri, Archiep. tit. Ephesin., *Adsessor*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I

PROVISIO ECCLESIARUM

Singulis, ut infra, datis decretis Sacri Consilii Christiano Nomini propagando Ssmus D. N. Pius Div. Prov. Papa XII dignatus est sequentes providere Ecclesias, nimirum :

Die 3 Ianuarii 1952. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Bizyenae praefecit R. D. Alexandrum Tokic, sacerdotem Archidioecesis Antibarensis, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Nicolai Dobrečić, Archiepiscopi Antibarensis.

Die 14 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Hemceuvensi R. P. Iosephum Wan Tsu-Chang.

— Titulari episcopali Ecclesiae Garrianensi R. D. Aloisium Bigirumwami, e clero saeculari indigena Vicariatus Apostolici de Ruanda, quem Vicarium Apostolicum Nyundoënsem constituit.

— Titulari episcopali Ecclesiae Astypalaeensi R. P. Iacobum Buis, e Societate Missionariorum S. Ioseph de Mill-Hill, quem Vicarium Apostolicum Jesseltonensem constituit.

— Titulari episcopali Ecclesiae Cnidiensi R. P. Ioannem Vos, e Societate Missionariorum S. Ioseph de Mill-Hill, quem Vicarium Apostolicum Kuchingensem constituit.

Die 21 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Baparensi R. P. Xaverium Ariz Huarte, O. P., quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Iosephi Garcia Grain, Vicarii Apostolici Portus Maldonadi.

Die 13 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Portus Piriensis R. D. Bryan Gallagher.

— Titulari episcopali Ecclesiae Amaurensi R. P. Stephanum Loosdregt, Congregationis Oblatorum B. M. V. Immaculatae, quem Vicarium Apostolicum Vientianensem constituit.

Die 20 Martii. — Cathedrali Ecclesiae de Chittagong R. P. Raimundum Larose, Congregationis Sanctae Crucis.

— Cathedrali Ecclesiae Jalpaiguriensi (noviter erectae) R. P. Ambrosium Galbiati, Pontificii Instituti a SS. Apostolis Petro et Paulo et a SS. Ambrosio et Carlo pro missionibus ad exteras gentes sodalem.

II

NOMINATIONES

Decretis, ut infra, datis Sacra Congregatio de Propaganda Fide ad suum beneplacitum renuntiavit:

Die 22 Februarii 1952. — R. P. Albertum Clementem Sirgue, Ordinis Fratrum Minorum Capulatorum, *Praefectum Apostolicum de Moundou.*

Die 21 Martii. — R. P. Gregorium Breen, Congregationis Sanctae Crucis, *Praefectum Apostolicum de Haflong.*

Die 28 Martii. — R. P. Adamum Grossi, Pontificii Instituti a SS. Apostolis Petro et Paulo et a SS. Ambrosio et Carolo pro missionibus ad exteras gentes, *Praefectum Apostolicum de Malda.*

— R. P. Iacobum Ireland, e Societate Missionariorum S. Ioseph de Mill-Hill, *Praefectum Apostolicum de Insulis Falkland seu Malvinis.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

MEXICAN.

BEATIFICATIONIS SEU DECLARATIONIS MARTYRII SERVI DEI MICHAËLIS AUGUSTINI PRO, SACERDOTIS PROFESSI E SOCIETATE IESU IN ODIUM FIDEI, UTI FERTUR, INTEREMPTI.

SUPER DUBIO

An signanda sit commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.

« O vere beata mater Ecclesia, quam sic honor divinae dignationis illuminat, quam vincentium Martyrum sanguis exornat, quam inviolatae confessionis candida induit virginitas » (S. Beda s. 18. de Sanctis). Occumbens martyr victoriam de tyranno reportat, « Regnavit enim de ligno Deus ». Porro, si mystici corporis Caput occisum regnat, occisa regnant et membra.

Atrox in Mexicana ditione, paucis abhinc annis, saeviit insectatio pluresque fideles, de clero praesertim, pro christiana fide necati fuere, « cohors triumphans Martyrum » effecti. Quorum in numero Michaël Augustinus Pro accensendus videtur. Hic enim tertius e decem filiis die 13 Ianuarii anno 1891 Guadalupe in villa prope urbem Zacatecas, e piis parentibus Michaële Pro atque Iosepha Juarez natus, liberaliter ac religiose educatus fuit. Acri ac festivo ingenio praeditus in bonarum artium studio progressiones fecit atque omnium animos sibi conciliabat. Religiosam vocationem persentiens, Societati Iesu die 10 Augusti mensis anno 1911 se adiunxit. Post biennium prima vota nuncupavit. Sequenti anno, contra religionem insectatione saeviente, aufugere cum sodalibus in novitiatus domum « Los Gatos » in provincia Californiae fuit coactus. Granatae in Hispania per quinquennium studiis incubuit; Granatae in Nicaragua magisterium exercuit; in oppido Sarriá prope Barcinonem, dein in oppido Enghien in Belgio theologicas disciplinas excoluit fere usque ad finem, quum triplici chirurgicae actioni subici debuisset ob stomachi morbum, e quo convaluit. Die sancto Patri Ignatio sacro anno 1925, Presbyteratus Ordinem in Belgio suscepit. Mense Iulio

sequentis anni in Mexicum redivit paucisque diebus post, sicut ceteri sodales, in paternam domum se recepit, adactus una cum familiaribus hac illac aufugere.

Occasione arrepta impetus in ducis Obregon vitam a nonnullis iuvenibus die 13 Novembris anno 1927 nequiquam habiti, Servus Dei, eius germani fratres Humbertus ac Robertus aliique die 18 eiusdem mensis in carcerem fuerunt contrusi. Etsi nullum argumentum, vel levissimum, ex responsionibus ac interrogatoriis, quae publicae securitatis ministri adhibuerunt, Servum Dei eiusque fratres facinoris aut socios aut saltem conscios fuisse emersit, eos tamen iudici tradendos esse edicunt. Iudicium autem locum non habuit, forsan ne eorum innocentia iuridice constaret; nex vero a Reipublicae Praeside ad timorem ingerendum decreta. Quare magno apparatu largaque invitatione huius sententiae facta est exsecutio.

Die itaque 23 eiusdem mensis, hora ante meridiem decima Servus Dei eius frater Humbertus aliique duo a carcere ad locum supplicii adducuntur. Michaël, petita venia, genuflexus parumque preces effundit, surgit, manu marialis rosarii coronam gestans, sereno vultu oculos ad caelum elevans brachia in modum crucis extendens, glandum coniectu necatur; sicque eius ardentissimum martyrii votum fuit adimpletum.

Martyrem occubuisse communis fuit non modo fidelium sensus, sed plurium quoque ex adversariis: immo ex ipsis iudicibus atque carnificibus, fatente quoque ipso publicae securitatis praeside: « Bene novimus eum fuisse innocentem sed opus erat *sacerdotem* occidere ut alii formidarent ».

Quae martyrii fama nullimode defervens, atque per mundum propagata, cui plurium gratiarum eo intercedente obtentarum fama accedit, ansam dedit ad processum informativum in Mexicana Curia construendum a die 28 Septembris anno 1935 ad diem 23 Novembris insequentis anni; hic Romam fuit delatus.

Plures interim litterae Summo Pontifici fuere oblatae beatificationis causam postulantes.

Servatis itaque de iure servandis, Rmo P. Carolo Miccinelli Societatis Iesu Postulatore Generali instante, Emus ac Rmus D. Cardinalis Benedictus Aloisi Masella, Episcopus Praenestinus, causae Ponens, die 18 Decembris mensis elapsi anni, in Congregatione Ordinaria, dubium posuit discutiendum: *An signanda sit commissio Introductionis causae, in casu et ad effectum de quo agitur,* de eaque retulit. Emi ac Revmi Cardinales, relatione hac audita, Praelatorum officialium suffragiis auscultatis, audito quoque R. P. D. Salvatore Natucci, Fidei Pro-

motore Generali, rescribere censuere : *Signandam esse commissionem, si Sanctissimo placuerit.*

Facta autem a subscripto Cardinali S. R. C. Pro-Praefecto relatione subsignata die Sanctitati Suae, Haec, E.morum Patrum rescriptum ratum habens, *commissionem Introductionis causae Servi Dei Michaëlis Augustini Pro Sua manu signare dignata est.*

Datum Romae, die 11 Ianuarii A. D. 1952.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

II

ROMANA seu VITERBIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI ROSAE VENERINI, FUNDATRICIS INSTITUTI MAGISTRARUM PIARUM AB EIUS NOMINE NUNCUPATARUM.

SUPER DUBIO

An stante approbatione virtutum et duorum miraculorum, Tuto *procedi possit ad eiusdem Venerabilis Servae Dei Beatificationem.*

Non sine divinae Providentiae consilio factum est ut Venerabilis Rosae Venerini Beatificationis causa post duo saecula et ultra ab eius pretioso obitu ad optatum portum appellat. Dum enim nostris temporibus familiarem puellarum educationem levitati potius quam pietati informari deploramus, veluti super candelabrum per beatificationis honores pia magistra, Magistrarum Piarum mater, Rosa Venerini ab Ecclesia in exemplum sectandum et in patrocinium obtinendum apponitur. Gaudeant Viterbienses, in quorum urbe anno 1656 nata est pluresque annos commorata, gaudeant Romani cives, quia hic aliquandiu magisterium exercuit, Institutum firmavit, supremumque diem anno 1728 sanctissime explevit.

Vix dum Institutum ab ea conditum potuit, beatificationis causae initium dedit, quae feliciter processit. Pius enim XI fel. rec. Commissionem Introductionis causae Sua manu anno 1928 signavit. Historica nostrae Congregationis sectio ingentem documentorum molem undique collegit, quae totum eius vitae cursum illustrat, heroicasque virtutes evidenter commonstrat. Idcirco huic Sacrae Congregationi via patefacta

est, ut post triplicem disceptationem die 6 Martii a. 1949 Ssmo D. N. approbante, decretum super heroicis virtutibus edere posset; constructis autem processibus super miraculis, haec pariter fuere approbata die 13 Ianuarii anni huius.

Verum ad actorum iuridicum complementum, antequam ad Beatificationem possit procedi ultimum disceptandum est dubium: *An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum, Tuto procedi possit ad sollemnem Venerabilis Servae Dei beatificationem.*

Dubium hoc a Revmo Cardinali Alexandro Verde, causae Ponente in Generali huius Congregationis coetu coram Ssmo D. N. Pio Papa XII die 29 Ianuarii mensis anno hoc propositum fuit, cui omnes, quotquot aderant, Patres Cardinales, Officiales Praelati, ac Consultores theologi unanimiter affirmative responderunt, Beatissimus vero Pater Suam mentem aperire ad hunc usque diem distulit, praesentes rogans ut una Secum Deum adprecarentur ut suum beneplacitum dignaretur apertius manifestare.

Hunc itaque diem natalis Sui et in Summum Pontificatum creationis anniversarium, selegit ut supremam sententiam ederet. Quapropter Rmos Cardinales Alexandrum Verde, causae Ponentem, ac subscriptum, Sacrorum Rituum Congregationis Pro-Praefectum, necnon R. P. Salvatorem Natucci, Fidei Generalem Promotorem meque Secretarium arcessivit, sacroque mysterio litato edixit: *Tuto procedi posse ad Venerabilis* Rosae Venerini *sollemnem Beatificationem.*

Hoc autem decretum rite promulgari, in acta Sacrae Rituum Congregationis referri Litterasque Apostolicas in forma Brevis de sollemnibus Beatificationis in Vaticana Basilica quandocumque celebrandis expediri mandavit.

Datum Romae, die 2 Martii, Dominica I in Quadragesima, anno Domini 1952.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

(OFFICIUM DE INDULGENTIIS)

DECRETUM

INDULGENTIIS DITATUR PIAE INVOCATIONIS RECITATIO

Sacra Paenitentiaria Apostolica, vi facultatum a Ssmo D. N. div. Prov. Pp. XII sibi tributarum, christifidelibus universis, qui piam recitaverint invocationem: « *Domine, doce nos orare* », Indulgentias, quae sequuntur, benigne concedit: 1) *partialem trecentorum dierum,* saltem corde contrito lucrandam; 2) *plenariam,* suetis conditionibus, semel in mense acquirendam, si quotidie per integrum mensem eadem invocatio devote recitata fuerit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Apostolicarum Litterarum in forma brevi expeditione. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, e S. Paenitentiaria Apostolica, die 30 Aprilis 1952.

N. Card. Canali, *Paenitentiarius Maior*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Martedì, 29 aprile 1952, il Santo Padre ha ricevuto in solenne Udienza Sua Eccellenza il Dott. Manuel Antonio Pulido Méndez, Ambasciatore Straordinario e Plenipotenziario della Repubblica degli Stati Uniti del Venezuela, per la presentazione delle Lettere Credenziali.

Mercoledì, 30 aprile 1952, il Santo Padre ha ricevuto in solenne Udienza Sua Eccellenza il Barone Dott. Giuseppe Kripp, Ambasciatore Straordinario e Plenipotenziario della Repubblica Federale di Austria, per la presentazione delle Lettere Credenziali.

Sabato, 3 maggio 1952, il Santo Padre ha ricevuto in solenne Udienza Sua Eccellenza il Dott. José Félix Aramburú, Ambasciatore Straordinario e Plenipotenziario della Repubblica del Perù, per la presentazione delle Lettere Credenziali.

Martedì, 13 maggio 1952, il Santo Padre ha ricevuto in solenne Udienza Sua Eccellenza il Dott. Francesco Giorgio Mameli, Ambasciatore Straordinario e Plenipotenziario della Repubblica Italiana, per la presentazione delle Lettere Credenziali.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietto della Segreteria di Stato, in data 8 maggio 1952, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare l'Illmo e Revmo Monsig. Principi Primo, *Economo e Segretario della Reverenda Fabbrica di San Pietro.*

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

17 giugno 1949. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Pizzardo Giuseppe, *Protettore dell'Associazione Tedesca di Santa Cecilia, di Lucerna* (Svizzera).

27 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore delle Suore di San Giuseppe di Annecy.*

30 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Tedeschini Federico, *Protettore dell'Œuvre de Saint-Paul (Apostolat par la presse) di Friburgo* (Svizzera).

13 ottobre 1950. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Piazza Adeodato Giovanni, *Protettore delle Suore Terziarie Carmelitane Scalze di S. Teresa* (Messico).

11 dicembre » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore dei Missionari dello Spirito Santo* (Messico).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore delle Suore della Croce del Ssmo Cuore di Gesù* (Messico).

24 marzo 1952. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Pizzardo Giuseppe, *Protettore delle Suore Missionarie Catechiste del Sacro Cuore di Gesù* (Napoli).

26 » » S. E. Revma Monsig. Bertoli Paolo, Arcivescovo tit. di Nicomedia, *Delegato Apostolico in Turchia.*

4 aprile » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Tisserant Eugenio, *Protettore delle Suore del Sacro Cuore del Verbo Incarnato* (Roma).

8 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Tedeschini Federico, *Protettore delle Suore dell'Addolorata Serve di Maria* (Nocera dei Pagani).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Tisserant Eugenio, *Protettore dei Missionari di Nostra Signore de « La Salette »* (Roma).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore degli Oblati di Maria Vergine* (Roma).

18 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Canali Nicola, *Protettore dei Frati Francescani dell'Atonement* (New York).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Pizzardo Giuseppe, *Protettore delle Figlie di Nostra Signora della Nere* (Savona).

23 aprile 1952. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Tedeschini Federico, *Protettore dei Missionari di San Francesco di Sales* (Annecy).

28 » » S. E. Revma Monsig. de Furstenberg Massimiliano, Arcivescovo tit. di Palto, *Internunzio Apostolico in Giappone*.

6 maggio » L'Illmo e Revmo Monsig. Pietro Palazzini, *Prelato Votante del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica*.

Assistenti al Soglio Pontificio:

16 ottobre 1945. S. E. Monsig. Anaya y Diez de Bonilla Gerardo, Vescovo di San Luigi Potosì.

30 dicembre 1949. S. E. Monsig. de Llobet Gabriele, Arcivescovo di Avignone.

Protonotari Apostolici ad instar participantium:

17 dicembre 1947. Monsig. Chaix Pietro, della diocesi di Frejus.

» » » Monsig. Sivan Giuseppe, della medesima diocesi.

25 maggio 1949. Monsig. Burke Carleton Guglielmo, dell'arcidiocesi di Edmonton.

30 dicembre 1949. Monsig. Huet Roberto, della diocesi di Orleans.

22 febbraio 1950. Monsig. Villot Giovanni, dell'arcidiocesi di Lione.

9 marzo » Monsig. Ricaud Ludovico Vittore Stefano, della diocesi di Tarbes e Lourdes.

20 luglio » Monsig. Glorieux Palemone, dell'arcidiocesi di Cambrai.

Prelato Domestico di Sua Santità:

18 novembre 1946. Monsig. McRae Alberto Alessandro, della diocesi di Alexandria nell'Ontario.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

La Commenda con Placca dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

7 settembre 1950. Al signor Le Cour Grandmaison Giovanni, dell'arcidiocesi di Parigi.

La Commenda con Placca dell'Ordine di San Silvestro Papa:

23 dicembre 1948. Al signor Martel Leone, della diocesi di Marsiglia.

An. et vol. XXXXIV 3 Iunii 1952 (Ser. II, v. XIX) - N. 8

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

RANCHIENSIS ET NAGPURENSIS (RAIGARHENSIS - AMBIKAPURENSIS)

A DIOECESI RANCHIENSI PARS ILLA SEPARATUR TOTUM COMPLECTENS CIVILEM DISTRICTUM DE RAIGARH ET MAIOREM PARTEM CIVILIS DISTRICTUS DE SURGUJA; A DIOECESI VERO DE NAGPUR ALTERA ISTIUS DISTRICTUS PARS, ATQUE EX ITA AVULSIS TERRITORIIS NOVA EFFORMATUR DIOECESIS, « RAIGARHENSIS - AMBIKAPURENSIS » NUNCUPANDA, QUAE SUFFRAGANEA CONSTITUITUR METROPOLITANAE ECCLESIAE CALCUTTENSI.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Laetissimo sane animo facere non possumus quin videamus rem christianam ubivis ita administrari ac regi ut exinde maiora in dies incrementa satis portendat. Ad quod assequendum non parum certe iuvat recta ecclesiasticarum ditionum circumscriptio, quae temporum et locorum adiunctis, quantum fieri possit, respondeat. Quam ob rem, libenter accipientes preces ad hanc S. Sedem a venerabili Fratre Anschario Sevrin, Episcopo Ranchiensi admotas, habitis prius tum hodierni Ordinarii Nagpurensis quod ad eum spectat, consensu, tum venerabilis Fratris Petri Leonis Kierkels, Archiepiscopi titulo Salaminensis et in India Iternuntii Apostolici, ad rem favente sententia, de venerabilium

Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio, suppleto, quatemus opus sit, aliorum quorum interest vel eorum qui sua interesse praesumant, consensu, re plene cognita, supremae Nostrae potestatis plenitudine ea quae sequuntur decernimus.

A Dioecesi Ranchiensi territorium illud seiungimus quod totum civilem districtum de Surguia complectitur et maiorem partem civilis districtus de Raigarh, quae intra ipsius dioecesis limites exstat; a dioecesi vero Nagpurensi reliquam eiusdem districtus de Raigarh partem ad hanc dioecesim spectantem. Ex ita avulsis territoriis novam erigimus et constituimus dioecesim, iisdem circumscriptam limitibus quibus duo quos memoravimus districtus terminantur, quam ab urbibus *Raigarh* et *Ambikapur* « *Raigarhensem - Ambikapurensem* » nuncupandam volumus. Huius novae dioecesis sedem episcopalem in *Patthalgaum* urbe constituimus, quam propterea ad civitatis episcopalis dignitatem extollimus. Episcopi vero cathedram in templo illo figimus quod Episcopus ad dioecesim ipsam primus eligendus aptiorem ad rem aestimaverit, quod propterea ad Cathedralis templi gradum ex nunc evehimus, eique et pro tempore Raigarhensibus-Ambikapurensibus Episcopis omnia attribuimus iura, privilegia, insignia, honores et gratias, quibus ceterae Cathedrales Ecclesiae earumque Antistites iure communi fruuntur et gaudent, illosque pariter iisdem astringimus oneribus et obligationibus quibus ceteri astringuntur. Dioecesim autem nunc erectam suffraganeam constituimus Metropolitanae Ecclesiae Calcuttensi, cuius proinde Archiepiscopi metropolitico iuri Episcopos pro tempore Raigarhenses-Ambikapurenses subiectos decernimus. Quum vero praesentis temporis adiuncta haud permittant quominus in nova hac dioecesi Canonicorum Capitulum modo constituatur, indulgemus ut interim pro Canonicis e clero vel in ipsa urbe Potthalgaum vel in propinquioribus locis degente Consultores dioecesani, ad iuris tramitem eligantur et adhibeantur. Mensae episcopalis dotem constituent congrua redituum et bonorum pars si quae sint, ad territoria, ex quibus nova haec dioecesis est efformata, pertinentium nec non Curiae emolumenta et oblationes quae a fidelibus, in quorum bonum dioecesis ipsa erecta est, praeberi solent. Quod autem attinet ad huius dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis vel Administratoris, sede vacante, electionem, ad illorum qui in sortem Domini vocati sunt institutionem, ad clericorum et fidelium iura et onera, aliaque huiusmodi servanda iubemus quae sacri canones et decreta synodalia in Indiis Orientalibus vigentia praescribunt.

Ad quae omnia ita disposita et constituta exsequenda venerabilem

Fratrem in India Internuntium Apostolicum vel eum qui Internuntiaturae illi harum Litterarum exsecutionis tempore praeerit deputamus eique necessarias et opportunas attribuimus facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, facto ei onere authenticum peractae exsecutionis actorum exemplum ad S. Congregationem de Propaganda Fide quamprimum transmittendi. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis eadem prorsus adhibeatnr fides, quae hisce ipsis Litteris ostensis adhiberetur. Praesentes autem Litteras firmas, validas et efficaces fore suosque plenos et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus derogamus, non obstantibus. Nemini ergo liceat hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, commissionis, decreti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, die tertio decimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

E. Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

A. Carinci, Archiep. tit. Seleuc., *Decanus Proton. Apost.*
Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXII, n. 86.

II

DE CHIQUITOS
(DE NUFLO DE CHAVEZ)

A VICARIATUS APOSTOLICI DE CHIQUITOS IN REPUBLICA BOLIVIANA TERRITORIO PARS DISTRAHITUR, EX QUA NOVUS ERIGITUR VICARIATUS APOSTOLICUS, « DE NUFLO DE CHAVEZ » NUNCUPANDUS.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ne sacri Pastores, ob nimiam sibi commissi territorii amplitudinem, in suo obeundo numere praeter vires graventur, neve ob eandem causam christianae rei administratio quid detrimenti capiat, solet Apostolica Sedes, cum id per rerum adiuncta licet, territoria eiusmodi dispertire et novas exinde condere diciones. Quam ob rem libenter preces admittendas duximus, quibus, christifidelium regimini aptius consulendi et catholicae religionis facilius propagandae causa, a Nobis postulabatur ut ex terris Vicariatus Apostolici de Chiquitos in Republica Boliviana partes distraherentur, quibus alius erigeretur Vicariatus Apostolicus. Collatis igitur consiliis cum dilecto Filio Nostro Petro, tituli S. Crucis in Hierusalem, S. R. E. Presbytero Cardinale Fumasoni Biondi, S. Congregationis de Propaganda Fide Praefecto, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel eorum qui sua interesse praesumant, consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a quem memoravinus Vicariatu Apostolico de Chiquitos illam territorii partem distrahimus quae totam civilem provinciam de Nuflo de Chavez complectitur, ipsamque in novum erigimus et constituimus Vicariatum Apostolicum « De Nuflo de Chavez » nuncupandum, quem dilectorum filiorum Provinciae Bavarensis Fratrum Minorum sodalium curis, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum, committimus. Novo autem huic Vicariatui de Nuflo de Chavez eiusque pro tempore Praesulibus omnia attribuimus iura, privilegia, honores et potestates quibus ceteri Vicariatus Apostolici eorumque

Vicarii iure communi gaudent, eosque pariter iisdem astringimus oneribus et obligationibus quibus ceteri astringuntur.

Quae omnia ita disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis vel excerptis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis sigilloque viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce iisdem Litteris haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, commissionis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere, vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, die tertio decimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
E. Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXII, n. 85.

III

DE BUKOBA
(DE KAGERA INFERIORE)

A VICARIATU APOSTOLICO DE BUKOBA TERRITORII PARS SEIUNGITUR ET NOVUS ERIGITUR VICARIATUS APOSTOLICUS «DE KAGERA INFERIORE» NUNCUPANDUS, QUI SAECULARI CLERO EX EODEM LOCO COMMITTITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ob divinitus Nobis commissum supremi Apostolatus officium diligentissime curare debemus ut ex ecclesiasticis ditionibus, adhuc Missionalium curis concreditis, in quibus catholica res valde profecerit, partes

distrahantur novaeque exinde erigantur circumscriptiones, aliis committendae Antistitibus, qui eas sub suo regimine positas, facilius utiliusque administrare valeant. Cum itaque in Tanganikensi Africae Orientalis regione Vicariatus Apostolicus de Bukoba, vigilantiae navitatique commissus sodalium e Societate Missionariorum Africae (vulgo « Patrum Alborum »), eorumdem sollertia atque industria tam laeta religionis incrementa cepisset, ut frequens ibidem clerus saecularis, ex illo ipso loco ortus, floreret, visum est Vicariatum eundem in duas partes dividere, quarum in una saecularis, quem diximus, clerus operam aptius sacro ministerio exercendo et catholico nomini diffundendo navaret. Nos igitur, favente ad rem habita sententia venerabilis Fratris Davidis Mathew, Archiepiscopi titulo Apameni in Bithynia et Apostolici Delegati in Africa Orientali et Occidentali Britannica, re mature perpensa, de consilio venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacro Consilio Christiano Nomini Propagando praepositorum, a quem memoravimus Vicariatu Apostolico de Bukoba integros civiles districtus de *Kiziba* et de *Missenyi* atque districtus civilis de *Kiyania* partem, quae ad occidentalem ripam fluminis *Nyono* sita est, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, suppleto, quatenus opus sit quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, distrahimus. Ex quo avulso territorio novum erigimus et constituimus Vicariatum Apostolicum, a *Kagera* flumine, eas regiones interfluente, « De Kagera Inferiore » nuncupandum, quem curis cleri saecularis ex eodem loco oriundi, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum, concredimus. Novo autem huic Vicariatui Apostolico de Kagera Inferiore eiusque pro tempore Praesulibus omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates quibus ceteri Vicariatus Apostolici eorumque Antistites iure communi gaudent, eosque pariter iisdem astringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri astringuntur.

Quae omnia, ita disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem quae hisce ipsis Litteris haberetur ostensis. Nemini porro hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, commissionis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero

id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, die tertio decimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, Pontificatus Nostri tertiodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario

E. Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton, Apost.*
Iosephus Caprio, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXII, n. 99.

IV

MBULUENSIS

PRAEFECTURA APOSTOLICA MBULUENSIS AD VICARIATUS APOSTOLICI GRADUM ET DIGNITATEM, IISDEM SERVATIS NOMINE ET LIMITIBUS, EVEHITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Non mediocri profecto afficimur laetitia quotiescumque Nobis nuntiatur in aliqua orbis terrarum parte christianam rem valde profecisse. Quod modo evenisse cernimus in Praefectura Apostolica Mbuluensi, intra Tanganikenses Africae Orientalis fines, quae a sodalibus Societatis ab Apostolatu Catholico tam sollerti studio exculta fuit, ut, praesertim postremis hisce temporibus, magna assecuta sit incrementa atque digna propterea videatur quae ad maioris dignitatis gradum provehatur. Quamobrem, de consilio venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi de Propaganda Fide praepositorum, audita sententia venerabilis Fratris Davidis Mathew, Archiepiscopi titulo Apameni in Bithynia et in Africa Orientali et Occidentali Britannica Delegati Apostolici, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel eorum qui sua interesse praesumant, consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, supremae Nostrae potestatis plenitudine, Apostolicam quam supra diximus Praefecturam Mbuluensem, iisdem servatis nomine ac

limitibus, in Vicariatum Apostolicum erigimus et constituimus, eumque eiusdem Societatis ab Apostolatu Catholico sodalibus, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum, committimus, minime dubitantes quin, tam sollertibus operariis dominicum agrum colentibus, catholicum nomen in regione illa floreat in dies magis. Ad novum igitur hunc Vicariatum Mbuluensem iura et onera spectabunt, quae ceterorum Vicariatuum sunt propria. Eius vero pro tempore Praesulibus hinc iura, privilegia et potestates competent, hinc onera et obligationes, quae communiter eiusmodi Praesulibus competunt. Quae omnia, uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus. Harum vero Litterarum trasumptis vel excerptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce ipsis Litteris haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam evectionis, erectionis, constitutionis, commissionis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere, vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, die decimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo secundo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

E. Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

A. Carinci, Archiep. tit. Seleuc., *Decanus Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXIII, n. 11.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

TEMPLUM IN HONOREM SANCTI VINCENTII FERRERII DEO DICATUM IN URBE AC DIOECESI VALENTINA EXSTANS HONORIBUS BASILICAE MINORIS INSIGNITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — In templis, quae ab Hispanis honori Sancti Vincentii Ferrerii fuerint excitata, Aedem Valentinam principem accepimus locum obtinere. Quae autem, post urbem Valentiam in libertatem vindicatam, eleganti manu exstructa, saeculo proxime elapso tota fere est deleta. Novum Templum stipe collecta, anno MCMXXI, ad finem fuit perductum idemque opere et artificio maxime commendatur. Probatur potissimum structurae genus, quod « Gothicum » appellant, aula in quinque partes divisa, maximum altare, post perturbationem Hispaniensem, anno MCMXXXVIII, ad exquisitae artis rationem confectum. Tabulae quoque pictae in haud mediocre vertunt ornamentum Aedis, in cuius officiis plures sodales Dominicani alacres versantur quamque Christifideles perfrequentes adeunt pietatis ac religionis causa. Preces igitur ad Nos delatae sunt ut hoc Templum, tot laudibus illustre, Basilicae Minoris nomine ac iure donaremus: quae vota, Venerabilis Fratris Marcelli Olaechea Loizaga, Valentini Archiepiscopi, ampla commendatione suffulta, libenti animo statuimus explere. Quapropter, audito Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam Sancti Vincentii Ferrerii, in urbe et Archidioecesi Valentina exstantem, ad dignitatem et honorem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae eidem titulo rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac

definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis Iulii, anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

II

SANCTUS FRANCISCUS XAVERIUS DIOECESIS JOLIETIENSIS IN ILLINOIS PRAECIPUUS CAELESTIS PATRONUS CONSTITUITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam — Non ita pridem ab hac Apostolica Sede constitutas dioeceses expedit peculiari uti praesidio superno quo vigeant magis atque felicioribus augescant incrementis. Cum igitur Venerabilis Frater Martinus Dewey McNamara, Episcopus Jolietiensis in Illinois, a Nobis petiisset ut Sanctum Franciscum Xaverium, Evangelii praeconem clarissimum, suae Ecclesiae Patronum Caelestem renuntiare dignaremur, vota huiusmodi libenti animo statuimus explere ea quidem mente ut illius regionis populus christianus, in tanto temporum discrimine, Catholicae Fidei institutis penitus haereret. Quapropter, audito Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefecto, omnibusque rei momentis attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine harum Litterarum vi perpetuumque in modum Sanctum Franciscum Xaverium, Confessorem, Praecipuum dioecesis Jolietiensis in Illinois Caelestem apud Deum *Patronum* constituimus ac declaramus, omnibus adiectis honoribus et privilegiis liturgicis quae principalibus dioecesium Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare po-

terunt, nunc et in posterum plenissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die XVI mensis Iulii, anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis
GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

III

IN CIVITATE ANNECIENSI ECCLESIA PRIMARII ORDINIS VISITATIONIS ASCETERII BASILICAE MINORIS TITULO AC DIGNITATE AFFICITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Permulta sane, cum in Helvetia tum in Gallia ac praesertim in Sabaudia exstant loca, quae sanctus Franciscus Salesius et dictis et scriptis et tandem praesentia sua collustravit suaque sanctitate Deo mancipavit et ad veram Religionem fortiter suaviterque redegit. Quae inter autem eminet fulgetque prae ceteris pervetusta illa Anneciensis urbs, quippe cum Sanctus idem, ad Religiosam Visitationis Familiam una cum Sancta Ioanna Francisca « de Chantal » sapienter sancteque condendam, provide eam delegerit, in qua postea ipsorum sacra Corpora condita sunt et etiam nunc, nonnullis frustra oppugnantibus Gallicae perturbationis periculis, in Ecclesia primi Visitationis asceterii pie asservantur. Est quidem sacra haec Aedes in summo colle, civitati amoenoque lacui imminente, posita, tanta magnitudine nec minori praedita pulchritudine, ut, peregrinantium more, magnam civium, finitimorum et de exteris quoque nationibus multitudinem, sacras Sanctorum Reliquias ibidem veneraturam, quotannis alliceret. Nos Ipsi, inter Patres Cardinales adhuc constituti, haud secus Achilles Ratti, qui postea Pius Pp. XI, fel. rec., proximus Decessor Noster fuit, Ecclesiam ipsam, invisimus. Quae quidem prope primarium Ordinis Visitationis asceterium, ineunte vicesimo saeculo, denuo exaedificata, per Venerabilem Fratrem Nostrum Fridericum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Tedeschini, Episcopum Tusculanum, No-

strum Datarium eiusdemque Ordinis Patronum, sollemni consecratione, multis Galliae Episcopis et sacerdotibus adstantibus fidelibusque plaudentibus, anno MCMXLIX, donata est. Eodem insuper Templo, sacra supellectili pretiosisque paramentis dotato atque artis operibus affabre praediviti, Capellani a Sancto Francisco Salesio nuncupati et, per Litteras Apostolicas sub anulo Piscatoris die II mensis Augusti anno MCMXIII datas, a Beato Pio Pp. X Decessore Nostro, iure statuti, navitate non minus quam pietate inserviunt. Quae cum ita sint, Venerabilis Frater Augustus Leo A. Cesbron, Episcopus Anneciensis, proprio nomine, utriusque Cleri nec non Visitationis Monialium, Optimatum universique populi, enixas Nobis adhibuit preces ut eandem Ecclesiam ad dignitatem et honorem Basilicae Minoris benigne evehere dignaremur. Nos porro, ne tanta erga sanctum Franciscum Salesium et sanctam Ioannam Franciscam « de Chantal » Cleri fideliumque pietas congruenti careat praemio, quin ut in bonum animarum magis magisque floreat, huiusmodi precibus, amplissima laudati Cardinalis Episcopi Tusculani commendatione suffultis, annuendum perlibenter censuimus. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno atque Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum memoratam Ecclesiam primarii Ordinis Visitationis asceterii, in civitate ac dioecesi Anneciensi exstantem, titulo ac dignitate *Basilicae Minoris* exornamus, omnibus cum iuribus ac privilegiis liturgicis, quae Ecclesiis itidem insignibus rite competunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri; si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die XVII mensis Augusti, anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

CAROLUS GRANO
Magister Officiorum Secretariae Status

IV

VENERABILIS DEI FAMULA ROSA VENERINI, VIRGO, MAGISTRARUM PIARUM FUNDATRIX, BEATA RENUNTIATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Mitis in omnes, praesertim in iuventutis subolem, Salvator qui, suave arridens, iussit parvulos ad se venire (*cfr. Matth.*, XIX, 14), per Ecclesiae Suae filios filiasque iis consulere non desinit et opitulari, Neque solum sunt qui, Illius perciti caritate, tenellis miserorum corporibus curam adhibeant, sed etiam, quod est potius habendum, pueriles animos ad pietatem informent optimisque excolant institutis. Quae ars, si ex virtutis praescripto exerceatur, in maximum solet vertere hominum societatis commodum, et qui ita ei institerint, ii praecipua laude non immerito feruntar; « si enim », ut ait Sanctus Bernardus, « pium est praebere escam corpori, multo misericordius escam animae impartiri, quod est proprie magistrorum » (*Sermo I in Nat. Dom.*; P. L., CLXXXIV, 829). In huiusmodi beneficiorum auctoribus numerum obtinet sacra virgo Rosa Venerini, quam Beatorum Caelitum ordinibus sollemni ritu statuimus hodie ascribere. Quasi hortus amoenus urbs Viterbium duarum honestata est decore Rosarum: altera, ex tertio ordine Franciscali, exstitit ei praesidium, altera magistra; dedit illa rarae inter homines virtutis specimen, haec ad exemplum eius se conformavit; floruit illa, gloria virginitatis circumfusa, haec nuptias non iniit nisi eas quibus iungeretur Christo. Haec igitur, cuius vitam perstringimus, nata est ibi die nona mensis Februarii, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, e Godefrido Venerini, qui medicinam profitebatur, et Martia Zampichetti, quattuor filiorum parentibus iisque probis nec obscuri nominis. Qui infantulam, postero die salutari respersam lavacro, quasi in domesticarum virtutum sede eduxerunt eiusque ingenium utilissimis finxerunt praeceptis. Puella igitur, disciplina huiusmodi usa, cum per aetatem esset rationis capax, voti sponsione se obligans constituit Deo in asceterio deservire. At ubi ad iustum corporis modum adolevit, ad huius saeculi levia parumper deflexit studia; quibus curis distenta et sollicitata, his fere verbis solebat caeleste Numen compellare: « Domine, quid agam? Domine, vires mihi non suppetunt; Domine, nisi praesens tuleris auxilium, ab hominibus divelli nequeo ». Cum autem mors repentina sustulisset iuvenem qui eam sibi expetiverat, Rosa, rerum muta-

